





JAC: MATTHIÆ
RATIO
CONCIONANDI















6
14
15
16



DOCTRINA DE CONCIONANDI RATIONE, ET CAVSSIS ELOQVENTIÆ:

Seu potiùs Ratio Diſcendi, Docendiq́ue in Scholis & Eccleſiis:

PVBLICE PRAELECTA IN ACAdemia Hafnienſi, in Dania:

A'

Viro clariſſimo & doctiſſimo D.

IACOBO MATTHIAE,

fœlicis memoriæ.

Tomus Primus.

NVNC

Editus opera & ſtudio

ANDREÆ KRAGII

Ripenſis, & Hæredum.

BASILEAE,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.



AMPLISSIMO VIRO, VIRTUTE, DOCTRINA, GENERE NOBILISSIMO D. GEORGIO ROSENKRANTZ, DE ROSENHOLM, REGNI Daniæ, &c. Senatori prudentissimo, Dn. suo summa observantia colendo.



LEGANTER & doctè, ut multa alia, etiam hoc cecinit princeps Poëta Lyricus:

Invidia Siculi, nō invenêre tyranni
Majjus tormentum.

Qvod enim de Amore alius cecinit: Est mollis flamma medullas: *hoc etiā cōveniēter de invidia dicitur. Illa enim cujjus obsedit & occupavit artus, & animū depopulatur: & homines invidi etiā in rebus splendidißimis nolint velint marcescunt.*

In hoc ne incurreret vitium et ejjus reus perageretur, nihil reliqvum fecit vir eruditionis & judicii lavde clarißimus D. JACOBUS MATTHIAE, piæ memoriæ, sacrosanctæ Theologiæ in hac Regia Academia Professor. Enitebatur sedulò ut multis modis prodesset reipub. litterariæ: ad qvā promovendā planè natus & factus videbatur. Prælegit in hac Academia multa in philosophia & Theologia: qvæ omnia si tineis & blattis consumenda cōmisisset, nec publicum cōmodum, multorum aliorū perverso motus exemplo, proprio præposuisset, ipse similiter invidia fuisset absumptus. Verùm omnia modo contrario hîc se habēt: longeq; aliter qvàm vulgus hominū erga bonas litteras, earumq; cultores erat affectus. Omnia qvæ potuit, qva erat ingenii fœlicitate & judicii gravitate, ex sacris et prophanis avctoribus cōqvirere, spectantia ad Ecclesiæ & Scholarum ædificationē sincera fide juventuti proposuit. Proposita ad incudē revocavit, & trāscribēda curavit: eo fine, ut nō saltim Patriæ, sed omnib. exteris Musis deditis et nomina ꝓfeßis ꝓdesset

Hoc itaq; ejjus cõsilium & propositum, cum coràm sæpissimè ex ejjus ore accepimus, nostrum judicavimus officium propositum tam lavdabile post ejjus mortem perficere, & qvæ prelo destinaverat in publicũ emittere. Nisi manes demortui avdiris & omnes litteratos, qvibus de hoc ejjus proposito & laboribus constat, contra nos concitare ludum jocumq; duceremus.

Prodibit itaq; in publicũ præsens hoc scriptũ de ratione concionãdi, sev de cavßis eloquẽtiæ: qvod neq; incõmodè de ratiõe discẽdi docẽdiq; nominaveris: nisi titulo priori ab ipso avctore fuisset insignitum. Informatur enim hìc tã ille qvi in studiis discendi gratia versatur qvã qvi docere debet. Cõfirmãtur præcepta exemplis ex sacris & prophanis avctoribus depromptis: ut dubium sit plus ne ingenii qvàm laboris hic fuerit necessarium. Ita prædicti scriptores diligentißimè relecti ad hæc præcepta illustranda transferuntur. Ego cuj relegẽdi munus ab amicis commissum erat, adeò sum in hujjus scripti lectione delectatus, qvod pavcißima immutarim, & ea tantùm animadverterim qvæ librariis per imprudentiam obvenerunt.

Sed, Vir generose, ne te offendat, qvòd scholasticis hisce exercitiis tuas interturbemus curas et cogitatiões graves & prudẽtes: ecce qvæ nos movent cavssas. Te inter suos patronos semper nominavit avctor ipse ferè principẽ: et qvãtã illi in studiis declarabas liberalitatẽ & munificẽtiã nunqvã satis prædicare potuit. Derelictus ab amicis, & pavpertatis telis prostratus ad te cõfugiens benignè sublevabatur. Ad summã, nunquã sensit tuã in se benignitatẽ clavdier. Cũ itaq; ingenuè professus sit, nihil in se fuisse operæpretiũ, qvod tibi nõ esset maxima ex parte deditũ & debitum, accipe vultu placido qvod tuũ est & posthac nos ejjus posteros in tuorũ beneficiariorum numerũ recipe. Vale, Musarũ decus diu & fœliciter. Haffniæ, xv. Avgusti. Anno Christi Dei, CIↃ IↃ XIIC.

ANDREAS KRAGIVS RIPENSIS
suo, & Hæredum nomine.

DE CONCIONANDI RATIONE.



ACTENVS inter alia tria Pręsidia sacræ Theologię studiosis necessaria ad sacram Scripturã & doctrinam cœlestẽ: eiusq; interpretationem & explicationem tum priuatim, tum in publicis prę-lectionibus, intelligendã proposuimus: Et quasi tres paruas & sacras artes exemplis sacrę Scripturæ perpetuo illustratas fecimus, nempe Grammaticam in phrasibus Hebræis: Rhetoricam in Tropis & figuris: Dialecticam in Inuentione argumentorũ ad thema docendum & explicandum necessariorum: Et dispositione argumẽtorum cum themate, & inter sese, idq; eo delectu, breuitate & ordine, quem studiosis ad doctrinę cœlestis cognitionẽ contendentibus non impedimento futurum: Sed potius ad festinationem profuturum esse iudicauimus.

Nunc verò vt eorundem usus magis conspiciatur, de Concionandi ratione pauca, paucis lectionibus dicam, & in ea etiam vsum horũ paruorum præceptorum à me propositorum, & aliorum eò spectantium, præsertim in Grãmatica demonstrabo. Atq; hæc erit etiam quasi parua Rhetorica Ecclesiastica, ad populariter in Ecclesia dicendum accommodata.

Rhetorica enim vetus Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani etsi multa cùm alijs, tum sacris materijs tractandis apta præcepta contineant: tamen plæraq; præcepta ad curiam & forũ, ad judicia & conciones veteres ferè pertinent, & omnia exemplis tantum prophanis causarum forensium & ciuilium accommodata sunt: vnde & vsus

cius Rhetoricæ nunc maxima ex parte, in veterum Oratorum Græcorum & Latinorum Demosthenis & Ciceronis, & aliorum orationibus explicandis & intelligendis ferè consistit.

Consuetudo enim dicendi in foro & cōcionibus circa tempora Anthoninorum ad annum ferè Christi 150 exoleuit: tum enim iurecōsulti Oratoribus foro pulsis, soli forum & tribunalia occuparunt, & veterem dicendi consuetudinem è foro sustulerunt. In Oratorum autem locum Cōcionatores & Oratores sacri successerūt, qui eloquentiam ex foro in Ecclesiam ad vsum longè augustiorem transtulerunt. Hoc cùm perspicerēt nostri nonnulli de Concionandi modo & ratione, pręcepta & consilia seorsim proposuerunt. Id egit ex veteribus Augustinus libro 4. de doctrina Christiana. Ex recentioribus autem Erasmus iusto volumine in quatuor libros distributo, & Erasmum sequuti nonnulli.

Nos autem quàm potuerimus breuissimè, & crassiore, vt dici solet, Minerua, rem expedire conabimur, & vndiq; ex alijs tùm prophanis, tùm sacris, quæ ad rem præcipuè spectare videbūtur, colligemus, vt ita quid trium artium, quæq́; vsus in concionibus formandis habeat, conspiciatur, & intelligatur quid cōcionatores sacri cū prophanis cōmune habeant, quid proprium, quid omnibus generibus concionum commune sit, quid singulis proprium, quid nostra tempora cum veteribus commune, quid propriū habeant. Atq; hoc faciemus tantū in gratiam studiosorū, qui ad munus docendi in Ecclesia aspirant, vt ita magis artes dicendi & studia linguarū ament, easq́; artes & linguas diligētiùs discāt, & rectiùs & faciliùs ad vsum docēdi accōmodent, vt tandē citiùs paratiores & instructiores ad docēdi munus accedant.

Verùm vt auditores in huius argumẽti explicatione audienda, paulò ſint attentiores : & rectiùs & faciliùs ſe ad munus docendi in Eccleſia parent, duo Præfationis loco adhuc dicenda ſunt. Primùm, quàm hoc munus arduum ſit, & periculoſum. Deinde, quæ ſint cauſę, quibus dicendi facultas paratur.

DIFFICVLTAS MVNERIS.

QVidam exiſtimant nihil eſſe facilius, quàm in Eccleſia ad populum verba facere, ac proinde ſæpè imparati, & ſine omni meditatione ad dicẽdum prouolare non dubitant: ſatis eſſe exiſtimantes linguæ quadam volubilitate & inani verborum luxurie auditores detinere. Quidam etiã ſtultè & impudenter iactant ſe ex manica concionem excutere poſſe. Verùm res longè aliter ſe habet. Eſt enim munus arduũ & difficile, ad quod rectè obeundũ magna cura & diligentia opus eſt.

Craſſus apud Ciceronem de Oratore libr. 1. Magnũ, inquit, quoddã eſt onus atq; munus ſuſcipere atq; profiteri, ſe eſſe omnibus ſilentibus vnũ: maximis de rebus, magno in conuentu hominum audiendum: Adeſt enim ferè nemo, quin acutiùs & acriùs vitia in dicẽte: quàm recta videat. Hęc ille. Sed eò magis hoc munus in Eccleſia docendi difficile eſt: quòd hîc maioribus de rebus, & maiori cum periculo, quàm in foro dicatur.

In curia enim & foro de rebus humanis tantũ & ciuilibus, de cauſſis ciuium & controuerſijs, de legibus, bello, & belli adminiſtratione: In Eccleſia autem de Deo, de Chriſto, & eius beneficijs, & ſalute hominum æterna dicitur. In Senatu & foro fama & exiſtimatio tãtùm dicẽtis, aut rei vita & fortunæ periclitãtur: In Eccleſia autem non ſolùm dicentis exiſtimatio, ſed etiam ſalus æterna,

tum

tum dicentis, tum audientium agitur.

Quare quicunq; ad hoc munus aſpirant: ſumma diligentia ad hoc ſeſe inſtruere debent: cùm toto ſtudiorũ tempore: tùm priuatim quoties ad dicendum & cõcionandum in Eccleſia accedere debent.

Demoſthenes dixiſſe fertur, ſe ſi poſſet, nõ modò ſcripta, ſed etiã ſculpta dicturum eſſe. Et Epicli cuidam exprobranti quòd ſemper meditatus diceret, reſpondiſſe fertur: Puderet me ſi ex tẽpore dicerem: qui tantæ multitudini conſulere debeam.

Cicero de Legibus primo, ſcribit ſe nunquam niſi paratum ad dicendum acceſſiſſe.

Auguſtus Imperator ſcribitur, nuſquàm vnquàm locutus, niſi meditata & cõpoſita oratione. Quod plus eſt.

CAVSSAE ELOQVENTIAE.

Eloquentiam appellamus in præſentia facultatem perſpicuè de re propoſita dicendi aut ſcribẽdi, qualis etiam in mediocria ingenia cadere poteſt. Hanc facultatem Paulus in doctore requirit: cùm iubet eligi hominem διδακτικὸν: id eſt, idoneum ad docendum. 1. Timoth. 3. Et cùm præcipit Timotheo, vt cõmendet munus docendi hominibus fidelibus, qui ſunt etiã ad alios docendos idonei. 2. Timoth. 2.

Natura.

Huius ergo facultatis cauſæ ſunt.

1. Natura animi & corporis ad dicendũ apta, vt in animo ſit ad inueniendũ & excogitãdum celeritas quædam & acumen: & ad explicandum vbertas & copia: & memoriæ firmitas & diuturnitas. In corpore autem corporis totius & oris confirmatio & figura quædã, linguæ ſolutio, vocis ſonus, laterum firmitas. Hæc ergo naturæ

fœlicitas

fœlicitas ad dicendi facultatem vim adfert maximam. Contrà, qui his aut omnibus, aut nonnullis destituitur, minus est ad hoc munus aptus: qui ingenio & memoria vel nulla vel exigua prȩditus est, qui spiritu angusto, voce exili, lingua hæsitãte aut impedita, lateribus infirmis. Nihil enim repugnante natura rectè fieri potest, vnde ab Horatio rectè dictum est:

Tu nihil inuita dices faciésue Minerua : vnde & Isocrates, cùm duabus rebus se destitutum, nempe audacia & voce, videret, ad dicendum necessarijs, foro abstinuit, & domi discipulos artẽ dicẽdi docuit. Imò verò hac ratione Moses se Deo excusare conatur, ne vt propheta ad populum mittatur, quòd esset linguȩ impeditioris. Exo. 4. vers. 10. Qua excusatione & alij prophetæ vsi sunt. Esaiæ 6. vers. 5. Ieremiæ 1. vers. 6. & 7.

Etsi autem hæ dotes Dei & naturæ sunt, quæ cũ ipso homine nascuntur, neq; ab arte inseri possunt: tamen & hæ ipsæ industria meliores fieri possunt, & vitia quædam naturȩ eiusmodi sunt, vt arte & industria corrigi possunt.

Sic Demosthenes impedimenta naturæ diligentia & industria superauit. Cumq; ita balbus esset, vt ejus ipsius artis cui studeret, primã literam non posset dicere: perfecit meditãdo, vt nemo planiùs eo locutus esse videatur. Deinde cùm spiritus esset angustus, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, vt vna cõtinuatione verborum (id quod eius scripta declarant) binæ ei contentiones vocis & remissiones continerentur, qui etiam, vt memoriæ proditum est, coniectis in os calculis, summa voce versus multos vno spiritu pronunciare cõsuescebat: Neq; is cõsistens in loco, sed inambulans, atq; ascensu ingrediẽs arduo: vt est apud Ciceronẽ de Orat. libr. 1.

Cicero quoq; ipse corporis infirmitatem atq; gracili-

tatem, & vocis vim nimiam & contentionem in adolescentia, in Græciā profectus, auditis Græcis Oratoribus & actoribus emendauit, vt ipse de se scribit de claris Oratoribus.

Deinde sunt etiam vitia quædam naturæ, quæ corrigi nequeunt, non tamen prorsus hominem ad dicendum ineptum reddunt. In his prudentia quadam singulari opus est ei, cui dicēdi incumbit necessitas. Sic Cotta orator cùm acutè inueniret, diceret purè ac solutè, ad infirmitatem laterum perscienter omnem cōtentionem vocis remisit: & ad virium imbecillitatem, dicendi accommodabat genus, vt ait Cicero eodem libro.

Eorum igitur qui in literis versantur, & de munere docendi in ecclesia cogitant, est, primum omnium suo se modulo ac pede metiri, naturā suam obseruare, & quid diuinitus datum sit, quid negatum diligenter expendere, hîc enim maximè bellum est nosse etiā sua vitia: Qui autem sentit se præsidijs natiuis corporis & animi diuinitus instructum esse, Deo gratias agat, & ad munus docendi in ecclesia alacriter se præparet, eaq; industria cōseruare & augere studeat. Qui autem vitio aliquo naturæ laborat, quod eum ad dicendum ineptum reddit, si id corrigi nequeat, exemplo Isocratis à dicendi & concionandi munere abstineat: ne & nullo cū fructu id munus obeat, aut sese alijs deridendum propinet.

Sin autē corrigi potest, exemplo Demosthenis & Ciceronis id corrigere industria sua studeat. Aut si ne id quidem potest, eo prudenter Cottæ more vtatur.

Neq;, si quem natura & præstantis ingenij vis, & vires corporis deficiunt, propterea ei desperandum est, sed is cursus tenendus est qui potest: Prima enim sequentē honestum est etiam in secundis tertijsq; consistere, & mediocribus.

diocribus ingenijs, Oratoribus & concionatoribus sua etiam laus est. Qua in re quanta sit varietas ex Bruto Ciceronis de Claris Oratoribus intelligi potest.

Doctrina.

Secunda eloquentię caussa est doctrina seu cognitio. Hæc rursum triplex est: linguæ popularis: artium dicendi: & rei de qua dicendum est, cognitio.

Linguæ popularis cognitio.

Linguæ ergo popularis cognitio primum omniũ futuro cõcionatori necessaria est. Neq; ea cognitio minus concionatoris boni: quàm ciuis Danici, vt de nobis loquamur, propria esse videtur. Nemo vnquam concionatorẽ, quod Danicè locutus esset admiratus est: sed si est aliter, irridetur. Neq; eum oratorem tantummodo: sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset: vt qui adessent, non intelligerent, quid diceret: sed cõtempsit eum, qui minus id facere potuisset: vt ait Cicero de Oratore Latino libro tertio.

Atq; hîc exemplum, consilium, & pręceptum Ciceronis ad filium obseruandum est: quod extat libro 1. Officiorum in Præfatione: vt ipse inquit, ad meam vtilitatẽ, semper cũ Græcis Latina coniunxi: neq; id in Philosophia solùm: sed etiam in dicẽdi exercitatione: ita sentio tibi esse faciendum: vt par sis in vtriusq; orationis facultate. Hæc ille.

Quod enim Cicero de lingua Gręca & Latina ait: id nos de Latina & Danica intelligere possumus & debemus. Vt enim Ciceroni Græca lingua peregrina fuit: Latina verò domestica: ita nobis Latina peregrina est: Danica verò domestica & vernacula. Vt ergo ille Latinæ ver-

naculæ cum Græca peregrina ſtudium coniunxit: idq́; idem vt faceret, filio ſuaſit & præcepit: ita & nobis, ſi ſapimus: Danicæ noſtræ vernaculæ ſtudium cum linguæ Latinæ ſtudio coniungendum eſt. Huius enim non minor eſt vſus & neceſſitas ad docendum in Eccleſia Chriſti: quàm Ciceroni linguæ Romanæ ad dicẽdũ in foro fuit.

Neq; cogitandũ eſt ſine cura omni & cogitatione, linguæ vllius cognitionem, & peritiam contingere poſſe. Origo eloquentiæ eſt verborum delectus, vt ait Cæſar. Delectus autẽ ſine ſtudio & cura eſſe non poteſt. Ideoq́; Iſocrates, Demoſthenes, Cicero, & alij in ſuis linguis vernaculis tantopere laborauerunt: quæ res eos vulgò admirabiles reddidit.

Linguę autem popularis cognitio petenda eſt, primũ à populo. Populus enim idoneus maximè linguę popularis docendæ magiſter eſt: vt ait Plato in Alcibiade 1. & Ariſtoteles Topicorũ 2. & Varro lib. 8. & Cicero in Oratore ad Brutum, & Fabius lib. 1. cap. 6.

E' populo autem vt quiſq; optimè loquitur: ita maximè huius rei idoneus magiſter eſt: cuiuſmodi ſunt homines politici & docti: qui in rebus & negotijs diu verſati ſunt: & concionatores qui diu in officio concionandi verſati ſunt. Et in his fœminæ etiam prudentes & honeſtę. Hæ enim incorruptam puritatem & antiquitatẽ Sermonis faciliùs quàm viri conſeruant. Quod multorum ſermonis expertes, ea ſemper tenent, quæ prima didicerunt: vt ait Cicero 3. de Oratore.

Et in Bruto Grȩcos Cornelię matris cõſuetudine puriùs locutos eſſe: eosq́; non tàm in gremio, quàm in ſermone matris educatos fuiſſe affirmat. Et addit: Permagni intereſſe, quos quiſq; audiat quotidiè domi: quibus cũ loquatur à puero: quẽadmodum patres, pędagogi,

matres etiam loquantur. Quod à Fabio lib. 1. ca. 1. repetitum eſt. Sed hæc res in concionatore non tàm præcepti, quàm voti eſt.

In ſingulis autem artibus & opificijs ſinguli artifices ſermonis cauſa, ſi opus ſit, audiendi ſunt, milites, nautæ, architecti, agricolæ. Sic Cicero à nautis prope villam ſuã didicit, quid eſſet remos inhibere. Cumq; in libro de Oratore 1. & quæſtionibus Academicis pro ſuſtinere vſurpaſſet: admonitus à nautis aliquo pòſt tempore correxit, vt eſt lib. 13. Epiſtolarum ad Atticum.

Prę terea ex libris & ſcriptis Danicis eorũ qui puriùs loquuti eſſe & ſcripſiſſe putantur, linguæ cognitio petitur. Cicero libro 3. de Oratore: Elegantia, inquit, loquẽdi, quanquam expolitur ſcientia literarum: tamen augetur legendis Oratoribus & poëtis. Vnde & Terentium Cicero ipſe libẽter legit: eumq; ſuum familiarem vocat. Et apud Fabium benè longũ caput eſt de autoribus ad verborum proprietatem & copiam legendis. Quanquã hîc de poëtis & rhythmis cautio eſt. Neq; enim poëtica & rhythmica vox quæuis aut phraſis, temerè ad proſam accõmodanda eſt, vt monet Fabius lib. 1. cap. 9. & 13. & lib. 10. cap. 1.

Porrò ad ſermonis vernaculi cognitionem, non inutile eſſet, Lexicõ aliquod extare: quod & linguę Latinę interpretationem Danicam: & Danicę viciſſim Latinã cõtineat. Vnde ij prę ſertim, qui à populi conſuetudine remoti, in vmbra ferè ſcholaſtica, vitã degunt: linguæ vernaculæ cognitionem peterent, & vnà cum Latina haurirent.

Artes dicendi.

Secundò eloquentiæ candidato tres artes dicendi cognoſcendæ ſunt, quæ loquendi, dicendi & diſſerendi ra-

tionem rectam & generalem tradunt. Ars enim dux certior est quàm natura: & citiùs ad dicēdi facultatem perducit quàm experientia, quæ, vt dici solet, stultorum magistra est. Et hæ tres artes inter se arctissimo vinculo cohærent, vt altera alterius ope & opera carere nequeat. Vt enim Dialectica sine Grammatica & Rhetorica, cæca & muta est: ita hæ sine illa stolidæ & fatuæ sunt.

Et quia non solùm de Oratore & eloquentia Latina: sed etiam Danica agimus: vtile videtur etiam Grāmaticam linguæ Danicæ: & Rhetoricam Troporum & figurarum exemplis linguæ Danicæ instructā habere. Quæ res ad collationem linguę vtriusq;: & ad vtramq; rectiùs & faciliùs discēdam & cognoscendam non parùm profutura videtur.

Verùm in his tribus artibus tradēdis & discendis summa cautio adhibenda est: vt rectè & facilè ad vsum dicēdi & docendi in Ecclesia tradantur. Summus præceptorum & exemplorum delectus habēdus est: ordinis item ratio habenda. Necessaria tantùm & vtilia ad vsum præcepta, illustribus exemplis instructa proponenda sunt: Superuacaneis & ociosis præceptis, exemplis & commētis prætermissis. Qua de re summi autores & prophani & nostri diligenter monuerunt. Optimarum enim rerum & artium abusus semper inter homines vsitatus est.

Cicero de Oratore 3. At, inquit, si quęris Catule de doctrina ista quid ego censeam, non tantùm ingenioso homini, & ei qui forum, qui curiam, qui caussas, qui rempublicam spectet, opus esse arbitror temporis, quantū sibi ij sumpserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab ijs tractantur, qui eas ad vsum transferūt: aliter ab ijs, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. Et paulò pòst: Ista discūtur faci-

lè: si & tantum sumas, quantum opus sit: & habeas, qui fideliter docere possit: & scias etiam ipse discere. Sed si tota vita nihil velis agere aliud: ipsa tractatio & quæstio quotidiè ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. Ita fit vt agitatione rerũ sit infinita cognitio. Item res quidem se mea sentẽtia sic habet: vt nisi quod quisquis citò potuerit: nunquam omninò possit perdiscere. Et paulò pòst neq; vt antè dixi, omnis in his rebus discendis ætas terenda est: Sed cùm fontes viderimus, quos (nisi qui celeriter cognorit, nunquam cognoscet omninò) tùm quotiescunq; opus erit: ex ijs tantum, quantum res petet, hauriemus. Hęc Cicero.

Fabius lib. 12. cap. 11. dicendi inquit ratio talis est: ut non multos annos poscat. Quęlibet enim ex ijs artibus, quarum priùs mentionem habui, in paucos libros contrahi potest. Adeò infinito spatio ac traditione opus nõ est. Sed culpa est in pręceptoribus prima, libẽter detinẽtibus pueros: partim cupiditate diutius exigendi mercedulas: partim ambitione, quò difficilius sit, quod pollicẽtur: partim etiã inscitia tradendi vel negligentia. Proxima in nobis est: qui morari in eo, quod nouimus, quã discere, quæ nondum scimus melius putamus. Omnia aũt breuiora reddit ordo & ratio & modus. Hęc Fabius.

Erasmus de concionandi ratione lib. 2. de tribus his artibus loquẽs: Has, inquit, disciplinas Ecclesiasten didicisse oportet non discere: & didicisse potiùs quàm perdidicisse: ne quod multis euenit, indies magis ac magis à lubescente studio, illic velut ad Syreneos scopulos cõsenescat. Primæ adolescẽtiæ cõgruunt hęc studia. Quãquam ut magni interim refert, quàm sobriè tradãtur: ita plurimum interest, qualis sit exercitatio. Neq; enim parùm officiunt puerorum ingenijs, qui Dialecticam, r eliquasq;

quasq; Philosophiæ disciplinas tradunt, nō perinde spectantes ad discipulorum vtilitatē, quàm ad propriæ eruditionis ostentationem: tum eos magis exercent ad palęstram, quàm ad bellum: Itaq; dum teneros animos torquent difficultatibus & gryphis non necessarijs, triplici illos afficiunt incommodo. Primùm, Ingenia generosiora frequenter deterrent ab his disciplinis. Deindè, frustrà conterunt ætatem ut optimam, ita fugacissimam: cùm interim licuisset alia quædam vtilia cognitu discere. Postremò efficiunt vt cùm ad seria ventum fuerit, inepti verius, quàm instructi videantur. Quemadmodum vix alij sunt ad verum præliū ineptiores, quàm qui per omnem vitam, artē dimicandi gladijs didicerunt ac docuerunt. In ludo norunt sagittam in se missam ense dissecare, priusquā eò, quò missa est, perueniat: Si modò steterit, qui missurus est, eo quo iubetur loco, nec nisi iussus mittat. At in bello, qui parat mittere, non præmonet illum, quem petiturus est: nec ibi seruantur ludi gladiatorij leges.

Profuerit tamen has disciplinas à primis statim annis sobriè didicisse: & exercitationem adhibuisse ad eā functionem, ad quam destinatus est adolescens. Neq; enim in eadem licet disciplina eodem modo exercendus est agendis causis forēsibus, aut obeundis principum legationibus: & qui præparatur sacris concionibus. Quemadmodum in Dialectica aliter exercendus est, qui Scholæ educatur: aliter qui Theologiæ. Hæc Erasmus.

Ludouicus Viues in PseudoDialecticos, De Dialectica, eiusq; studio sic scribit: Quæ ad reliquas etiā duas dicēdi artes pertinent. Quid quod tametsi in ipsa bona veraq; Dialectica versarentur: non tamen deberent tanto in ea tempore desidere. Ars enim est Dialectica, quæ non

nō sua caussa addiscitur: Sed vt reliquis artibus admini culum præstet, & quasi famuletur. Idcirco non est in ea plus operæ insumendum, quàm satis est ad cæterarū artium ministeriū, quod Dialectica exercet. Nam qui multam diem in Dialectica conterit, nec ad alias scientias se confert: non secus facit, quàm qui cribro cōparato, quo farinam excernat, panesq; cōficiat, in eo aptando componendoq; plus æquo immoratur. Instrumentum com parari celeriter debet: & aliud in eo non curandū, quàm vt sit operi faciundo accommodum. Ineptè profectò fa cit quisquis in eo anxiè componēdo longum laborem addit: Et non protinus illi operi, propter quod instrumē tum paratum est, sese accingit. Modò instrumentum illud vitio aliquo operam morari atq; impedire non possit. Nam alioqui curandum hoc in primis esset. Itaq; tanta est artis Dialecticæ accipienda cognitio, quantum ad efficiendum sat est: ne illius ignoratio in reliquis artibus nobis officere queat. Quis ferat pictorem in componēdo penicillo, in terendis coloribus: sutorem in acubus in subulis, smilijs, cæterisq; cultris acuendis, in torquendo, in cerandoq; filo, in zetis illi addēdis, totam ætatem consumere. Hęc Viues.

Augustinus etiā de doctrina Christiana lib. 3. cap. 37. subtilitates pręsertim Logicas deridet & exagitat. Quē locum in doctrina argumentorum initio recitauimus. Et ca. 39. enumeratis his pręsertim artibus: In omnibus his, inquit, tenendū est: *NE QVID NIMIS*. Et lib. 4. cap. 3. Pręcepta, inquit, dicendi, apta & conuenienti æta ti discēda sunt, ijs, qui hoc celeriter possunt. Nā & ipsos Romanæ eloquētiæ principes non piguit dicere: Quòd hanc artem nisi quis citò possit, nunquam omnino possit perdiscere.

Verùm hæ doctiſſimorum virorũ admonitiones magis ad docẽtes, & eos, qui ſtudia iuuentutis gubernant, quàm ad diſcentes pertinent.

Rerum cognitio.

Tertiò neceſſaria eſt rei de qua dicendum eſt, cognitio. Sola enim artium dicendi cognitio ad dicendi facultatem parandam non ſufficit. Hæ enim nullam rerũ ſingularum explicationem continent: ſed generalem tantùm dicendi rationem.

Ariſtoteles lib. Rhetor. 1. cap. 2. Dialectica, inquit, & Rhetorica neminem doctum facere poſſunt in vllo certo diſciplinæ genere. Quoniam nullam habent certam rei vllius ſibi ſubiectam materiam: poſt artes igitur dicẽdi, res de qua dicendum eſt, diſcenda & cognoſcẽda eſt.

Ariſtoteles Rhetor. 2. cap. 21. toto, hoc ipſum agit: Illud, inquit, primò ſciẽdũ eſt: neceſſe eſſe, vt qui de re aliqua dicturus ſit, cognita & perſpecta habeat, quę in ea re ſunt, vel omnia, vel ſaltem aliqua. Nam ſi nihil cognitum habuerit: nihil erit quod dicere poſſit. Vide & Analyticorum priorum lib. 1. cap. 20. & Topicorum. 1. cap. 9.

Sic apud Ciceronem de Oratore lib. 2. Antonius: Riſerit, inquit, aliquis fortaſſe hoc pręceptum. Eſt enim nõ tàm acutum, quàm neceſſariũ: magisq; monitoris nõ fatui, quàm eruditi magiſtri. Hoc enim primùm pręcipiemus: quaſcunq; cauſſas erit acturus, ut eas diligenter, penitusq; cognoſcat. Hoc in ludo non præcipitur. Et paulò pòſt: Nemo poteſt de ea re, quam non nouit, non turpiſſimè dicere.

Sic & Craſſus lib. 1. Ex rerum cognitione efflorescat & redundet oportet oratio. Quæ, niſi ſubeſt res ab Oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem

cutionem & penè puerilem.

Et paulò pòſt: Nemo in eo diſertus eſſe poteſt, quod neſcit.

Et de Oratore 3. Non ſolùm acuenda nobis atq; procudenda lingua eſt: ſed onerandum complendumq; pectus rerum maximarum & pulcherrimarũ cognitione.

Et de perfecto Oratore: Eloquentiæ fundamentum eſt ſapientia.

Et in Partitionibus: Nihil aliud eſt eloquentia, quàm copioſè loquens ſapientia.

Et Horatius ait:

Dicendi rectè ſapere eſt & principium & fons.

Et notum eſt illud:

Quodq; parum nouit, nemo docere poteſt.

Hinc primo de Oratore, M. Craſſus diſputat, Iuriſciuilis cognitionem Oratori eſſe neceſſariam.

Non eſt igitur exiſtimandum dicendi facultatem ex ſolis dicendi artibus parari poſſe: aut eſſe garrulitatem ſeu facultatem de rebus parùm intellectis verba fundendi: vt multi imperiti eos valdè eloquentes eſſe exiſtimant: qui luxurie quadam verborum inani, auditores tenere poſſunt: cùm tamẽ rem propoſitã minus & intelligãt & explicent. Et hi ferè pluris apud vulgus, quàm docti fiũt.

Plato in Gorgia: Indocti, inquit, inter indoctos multò videntur doctiores ijs, qui ſolidè docti ſunt. Sed tamen hîc contingit, quod ait Quintilianus lib. 10. cap. 7. Qui ſtultis, inquit, eruditi videri volũt, eruditis ſtulti vidẽtur.

Concionatori igitur doctrinæ cœleſtis cognitio neceſſaria eſt, cùm totius, tùm eius partis, de qua in præſens, certo loco & tempore, dicendum eſt. Et quoties de certo Scripturę themate aut doctrinę parte dicendũ eſt: toties primum omnium opera danda eſt, vt id cáue pe-

 nitus

nitus intelligatur. Quo pacto autem doctrinæ cœlestis cognitio rectè & facilè parari possit, alibi dicetur.

Decori cognitio.

Quartò, Necessaria est cognitio decori: id est, prudentia intelligens & cōsiderās quid personā dicētis deceat: quid personę audiētis vel audientiū, quid rei de qua dicitur, quid itē loco & tempori, quibus dicitur, expediat & cōueniat: ut oratio omnis, rei propositæ personis dicentis & audientiū, loco & tēpori rectè accōmodari possit.

Cicero de Oratore 3. Nunc quid aptum sit: hoc est, quid maximè deceat in oratione, videamus. Quāquam id quidem perspicuum est: non omni caussæ, nec auditori, neq; personæ, neq; tempori congruere orationis unū genus. Nam & caussæ capitis alium quēdam verborum sonum requirunt, alium rerum priuatarum atq; paruarum: & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Refert etiam qui audiant: senatus an populus, an iudices: frequētes an pauci, an singuli: & quales ipsi quoq; Oratores: qua sint ætate, honore, authoritate, debet videri. Tempus pacis, an belli: festinationis an ocij. Et paulò pòst: Omni in re posse, quod deceat facere, artis & naturæ est: scire quid, quandoq; deceat, prudentiæ.

Fabius lib. 6. cap. 6. Illud dicere satis habeo: nihil esse nō modò in orando: sed in omni vita prius consilio. Frustraq; sine eo tradi cæteras artes. Plusq; vel sine doctrina, prudentiam: quàm sine prudentia, facere doctrinam. Aptare etiam orationē locis, temporibus, personis eiusdem virtutis est. Vide totum caput primum libri 11.

Ludouicus Viues de ratione dicēdi lib. 2. ca. de decoro. Caput, inquit, artis esse, decere quod facias. Atq; id

vnum

vnum eſſe quod tradi non poſſit,quod nõ tàm eſt huius artis proprium,quàm vitæ totius.Itaq; prudẽtia eſt, quæ præceptis contineri nequit, nempè ſingularum rerum, quæ quis ſpectat,res,perſonas,loca,tempora.

Et de cauſſis corruptarum artium lib.4.Sacri concionatores priſcis oratoribus ſucceſſerunt: ſed diſſimilimo ſucceſſu.Nam quantò illos ſuperamus rebus:tantò partibus omnibus eloquentiæ ipſis ſumus inferiores.Olim qui dicebant, erant callentiſſimi vſus, & totius prudentiæ communis: tractandorum animorum peritiſſimi artifices. Qui nunc dicunt,quàm diſpares,imperiti, ignari vitæ, imò etiam communis ſenſus. Nec cui rei quæ verba,quod genus orationis ſit adhibendum norunt: omnia benè conuenire omnibus rati. Sententias habent plumbeas,frigidas,iacẽtes,ſegnes, quæ animos deijciãt citiùs,quàm excitent. Argumentatiunculas colligũt ab exercitio Scholaſtico, quæ ventilant quidam & titillant interdum:Nunquam feriunt aut cedunt. Nihil dicũt ſuo loco:nihil pro re aut tempore: nec intereſſe exiſtimant; ſaltitent dicentes an ſedeant.

Eraſmus de Cõcionandi ratione lib.1. Si reputemus quanta ſit varietas ſexuum,ætatum, cõditionis,ingeniorum,opinionum,vitę inſtitutionis,conſuetudinis in auditoribus: quanta oportet præditum eſſe prudentia Eccleſiaſten,qui his omnibus orationem accõmodare debet:Et cui ſic temperanda oratio eſt: ne aliquorum medetur erroribus: alijs errandi prębeat anſam: & dum vitia perſequitur, vitia doceat:aut dum ſcelera fortiùs coarguit,ſeditionẽ excitet. Rhetores negant quemquã benè dicere,niſi aptè dicat:& artis præcepta iubent prudẽtiæ cedere: quam diuidunt in iudiciũ & conſilium, quæ præceptis tradi non poſſunt, ſed ex oratoris ingenio &

negocij circumstantijs petuntur. Hæc Erasmus.

Concionator igitur cognoscere & obseruare debet cùm alia, tùm in primis auditorum suorum, & eorum apud quos dicturus est, quoad fieri potest, ingenia, opiniones, consilia, studia, mores, pro sexus ætatis & fortunæ conditione. Qua de re generalia quædā documenta tradidit Aristoteles Rhetoric. lib. 2. Et de ætatibus priuatim Horatius in poëtica. Cum quibus cõiungatur caput totũ de decoro Ludouici Viuis lib. 2. de ratione dicendi, cuius antè meminimus.

Tertia caussa exercitatio.

Tertia caussa eloquentiæ est dicendi exercitatio. Hæc enim ad ἕξιν rectam & firmam parandam prorsus est necessaria. Fabius lib. 10. cap. 1. Eloquẽdi, inquit, pręcepta, sicut cognitioni sunt necessaria: ita non satis ad vim dicendi valent: nisi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, accesserit: quam legendo plus, an scribẽdo, an dicendo cõsequamur, solere quæri scio: quòd esset diligentiùs nobis examinandum: si qualibet earum rerum, possemus vna esse cõtenti. Verùm ita sunt inter se cõnexa, & indiscreta omnia, vt si quod ex his defuerit, frustrà sit in cæteris laboratum.

ANALYSIS.

HAEc exercitatio duplex est: Analysis & Genesis. Analysis est alienæ orationis, ad imitandum consideratio & obseruatio: & quasi exempli propositi accurata inspectio: qua virtutes & vitia exempli propositi ad artium dicendi pręcepta exiguntur. Sapiens enim ex alienis vitijs sua emendat: nec vitiorum quæ infinita sunt, ars vlla esse potest. Quare præcipua in exemplis notari possunt.

Imitatio

Imitatio & eius neceßitas.

Hæc ergò Analyſis ad imitationẽ præcipuè pertinet. Sine imitatione autem eloquentia aut recta & laudabilis dicendi facultas nemini contingere poteſt.

Cicero de Oratore lib. 2. in perſona Antonij: Ergo, inquit, hoc ſit primũ in præceptis meis: vt demonſtremus quem imitetur: atq; ita, vtq; maximè excellũt in eo, quẽ imitabitur: ea diligentiſſimè perſequatur.

Fabius lib. 10. cap. 2. Neq; enim dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam vt inuenire primum fuit, eſtq; præcipuum: Sic ea quæ benè inuenta ſunt, vtile eſt ſequi. Atq; omnis vitæ ratio ſic conſtat: vt quæ probamus in alijs, facere ipſi velimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi fiat vſus, pueri ſequuntur: Sic Muſici vocem docentium: ſic pictores opera priorum: ruſtici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis deniq; diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptũ formari videmus. Et hercle neceſſe eſt aut ſimiles aut diſſimiles bonis ſimus. Similem rarò natura præſtat: frequenter imitatio. Hæc Fabius.

Atq; hoc modo Latini ſcriptores & Oratores Græcos ferè imitati ſunt: Plautus & Terentius Menandrum: Virgilius Theocritum, Heſiodum, Homerum, & alios multos: vt Macrobius in libris Saturnaliorum, & recens ſcriptor Fuluius Vrſinus copioſè docẽt. Cicero Platonem, Iſocratem & Demoſthenem imitatus eſt: Fabius lib. 10. cap. 1: Mihi, inquit, videtur Marcus Tullius, cùm ſe totũ ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxiſſe copiã Platonis, iucunditatem Iſocratis, vim Demoſthenis.

Quare futuro concionatori imitatio omninò etiam neceſſaria eſt: & nullo modo negligẽda. Neq; eius quẽquam etiam doctũ & exercitatum pudere debet. Vnus enim



enim vir, non videt omnia. Et in omni re ad delectum agendum, pluriũ exempla intueri & consilia audire prodest: pauci omninò sunt, qui neminem imitantes suapte natura quod velint, sine cuiusquam similitudine consequantur. Qualis Cęsar & Cotta fuisse dicitur: quorum alter inusitatum alijs oratoribus lepôrem quendam & salem: alter acutissimum & subtilissimum dicendi genus est cõsecutus. Vt ait Anthonius de Oratore 2. Et omninò barbarum & cyclopicum est: ex nemine discere velle: vt est apud Euripidem in Cyclope: Inter Cyclopes nemo aliũ audit. Vide Ludouicũ Viuem de tradendis disciplinis lib. 4. Et Philippũ in Rhetor. lib. 2. de imitatione. Atq; hîc rectè dici potest, αὐτομάθεια, κακομάθεια: id est, per se discere, est malè discere.

Analysis Lectionis

Hæc autem Analysis duplex est, Lectionis & Auditionis. Lectio tacita scriptæ orationis aut cõcionis plus ad meditandũ, & accuratiùs omnia obseruanda, spatij præbet. De qua primum caput totũ agit libri decimi Quintiliani. Vbi inter alia hæc habet: In Lectione certius iudicium est, & Lectio libera est, nec actionis impetu trãscurrit. Sed repetere sæpiùs licet, siue dubites, siue memoriæ penitùs affigere velis. Vt autem cibos mansos, & propè liquefactos demittimus, quò faciliùs digerantur: ita Lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, & velut cõfecta, memoriæ & imitationi tradatur. Ac legendum penè ad scribẽdi solicitudinem: nec per partes modò scrutanda omnia: sed perlectus liber, vtiq; ex integro resumendus, præcipueq; oratio: cuius virtutes frequenter ex industria quoq; occultantur.

Cicero de claris Oratoribus: Oratorũ orationes scriptas legẽdas esse monet, & seipsum legisse scribit. Voluendi,

uendi,inquit, ſunt libri cùm aliorum, tùm in primis Catonis. Nos enim adoleſcentes, quod in Latinis potiùs imitaremur,nō habebamus.Et Horatius in arte poëtica:

-vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu,verſate diurna.

Ergo & eloquentiæ ſacræ candidato & concionatori futuro conciones aliorum ſcriptæ diligenter legēdæ & obſeruandæ ſunt:tùm Latina,tùm Germanica, tùm vernacula lingua ſcriptæ.

Quamuis autem nullus liber tàm malus eſt,vt nō aliquid boni contineat: tamē nemini omnia legere vacat: nec ætas,nec ingenium hominis ad omnia legenda ſuffi cit: & nimia multitudo & varietas animum diſtrahit & perturbat. Quare conſultum eſt ab optimis exemplum petere: & optima primùm & præcipuè legere. Diu, inquit Fabius, non niſi optimus quiſq;, & qui credentem minimè fallat,legendus eſt. Delectus igitur concionum legendarum graui iudicio agendus eſt:vt ex multis paucæ & optimæ deligantur: Quarum autores doctiores,facundiores, & ſinceriores fuerint. Etſi enim omnium eorum,qui lucubrationes ſuas ediderunt, labor & voluntas iuuandi aliorum ſtudia, & propagandi atq; illuſtrandi doctrinam cœleſtem, cōmendatione digna eſt: tamē alij alios antecellunt eruditione, dexteritate enarrationis,perſpicuitate, momentis rerum indagandis & explicandis,diſpoſitionis conſilio, doctrinæ ad vſum & exercitia fidei, pœnitentiæ,& totius vitæ Chriſtianæ accommodatione, & reliquis boni interpretis officijs & partibus. Quare iuuenes, quos in his maximè probatos cognouerunt:ex his aliquem ſibi præcipuè legendū & imitandum proponere debent: Idq; de conſilio & ſentētia eorum,qui iudicio & vſu valent, maximè præceptorum.

Prouectioribus autem etiam Sermones Augustini, Homiliæ Basilij & Chrysostomi legendæ sunt. Erasmus etiam prophanos Oratores concionatori futuro legendos esse censet, ad dicendi exemplum. Cuius censura & iudicium de prophanis & sacris scriptoribus legendis, dignum visum est, quòd hoc loco recitaretur: quod extat lib. 2. de Concionandi ratione. Si quis, inquit, me cõsulat, ex doctoribus prophanis & Ecclesiasticis, quorum libri potissimũ sint euoluendi futuro concionatori: nullus est, quem Demostheni ac Ciceroni præferamus: vix etiam quem conferamus: sanè quod attinet ad dictionis virtutes.

Aristoteles ad iudicandum & cognitionem conducit plurimum. Ad popularem dictionem non ita multum.

Plato longè ad hoc accommodatior, fusus ac iucundus, & per similitudines veluti manu deducens ad veri cognitionem.

In Liuianis Orationibus, & si eas non explicet, in proponendis consilijs, plurimũ est tùm prudentiæ, tùm eloquentiæ. Idem in mitioribus affectibus, quos Græci vocant mores, iucundus est, quemadmodum & Vergilius.

Acriores affectus petuntur à Tragicis. Quanquam Latini, qui quidem extant, plus hîc habent vehementiæ, quàm Græci.

Cornelius Tacitus alioqui duriusculus: in orationib. acutus est & copiosus. Seneca in tradendis vitijs salsus est, & elegans, ac vehemens etiam.

Sed de moribus nemo fœliciùs scripsit, quàm Plutarchus. Cuius libelli digni sunt, qui ad verbũ ediscantur. E quibus Basilius & Chrysostomus multa vidẽtur hausisse.

Inter Ecclesiasticos nemo mihi D. nuo Basilio fœlicior videtur: dilucidus est, pius, sanus, suauiter grauis, & gra-

uiter ſuauis, nihil habens affectatæ loquacitatis.

Athanaſius in dicendo mirus eſt. Nec dubito, quin ſui ſimilis fuerit in cõcionando, ſi extarẽt illius Orationes.

Baſilio proximus eſt Chryſoſtomus. Cuius omnia ferè ſcripta ſunt popularia: & ad imperitæ multitudinis aures, animosq; accommodata. Quanquam in huius viri nomen multa congeſta ſunt, quæ non referunt illius genium. Facile eſt ex eo imitari, quod fuſior eſt, quod quædam repetit & inculcat: quod crebris percunctatiunculis excitat dormitantem auditorem. Sed Chryſoſtomũ ipſum exprimere, nequaquam facile eſt.

Proxima laus debetur Gregorio Nazianzeno. Cui multum eſt acuminis, vehementiæ ſatis, quoties id poſtulat res.

Origenes primum merebatur locum, qui omniũ Græcorum ingenia excitauit. Quod fatetur etiam Athanaſius. Nec excitauit tantùm, ſed etiam inſtruxit. Et huius ſcripta pleraq; ſunt popularia. Verùm vt hic ſuas Orationes, homilias appellat: id eſt, colloquia: vix uſquam aſſurgit: Sed totus eſt in docendo: nihil attingens affectuum, niſi ſi quos ipſa mouet res. Quod eſt Atticorum. Ex hoc tamẽ diligenter lecto, multa dicendi facultas accedet Eccleſiaſtæ.

Iam ut ad Latinos veniam. Tertullianus durus eſt: tametſi ſalſus in confutandis Hæreticis: Naſſutus in traducendis vitijs. In quo tamen optarim illum interdum longiùs abeſſe à ſcurrilitate. Sed Apher erat.

Hylarius parum vtilis eſt ad parandam ſermonis, præſertim popularis, gratiam. Vtilior Cyprianus, apertus, vehemens, & ſerius: nec infœliciter fluens.

Dicendi genus, quod ſequutus eſt Ambroſius nõ admodum conuenit noſtris temporibus. Habet enim ar-

gutias & ſententias affectatas, ſępè etiam ſubobſcuras: ut ad illud genus accedant, quas Græci vocant νοήματα.

Hieronymus ad omnem dicendi facultatem parandā appoſitus eſt:ardens in cōcitandis affectibus. Sed quoniam presbyter tantùm erat,non Epiſcopus,in concionando ſeſe nunquam exercuit.

Auguſtinus in hoc genere extemporali fœlix eſt, & argutus. Quod autem dulcior eſt,quàm grauior:quod numeris & ſimiliter deſinētibus gaudet:quodq; crebris digreſſionibus moratur auditorum animos,ſuæ gentis ingenio tribuit vir pius & humanus.

Gregorius Pontifex Romanus ſimplex & pius eſt in concionibus. Verùm pro temporum illorum ratione, gaudet membris & inciſis ſimiliter cadentibus,& ſimiliter deſinētibus, quemadmodum & Auguſtinus. Quę ſi nunc adferret Eccleſiaſtes,ineptus videretur.

Prudentius licet carmine ſcripſerit:tamē multum ſpirat Chriſtianæ facundiæ.

Bernhardus cōcionabundus eſt,natura magis,quàm arte,feſtiuus & iucundus: nec ſegnis in mouēdis affectibus.Sed apparet pleraſq; illius conciones, apud cœtum Monachorum habitas:In quorū vſum ferè ſcripſit, quecunq; ſcripſit.

Fuerunt & alij, qui nō infœliciter tractarunt hoc dicēdi genus,velut Leo Pontifex,Fulgentius,& alij. Iohānes Gerſonenſis minimum iuuabit Eccleſiaſten: dūtaxat ad dicendi facultatem. Diſſecat omnia, & hinc frigus. Frequēter affectat affectus : ſed eos in ſe ſenſit magis,quàm mouet in alijs.

Thomas ad dicendum non fuit natura ineptus:ſi ſeſe perinde hîc exercuiſſet: vt exercuit in Philoſophia & argumentando.

Scotus

Scotus & huius similes ad rerum cognitionem vtiles sunt: ad dicendum inutiles.

Sequutum est postea concionatorum genus fortassis aptum suo theatro, sed prorsus ignarũ artis: nec ita multum præ se ferens prudentiæ. Ab his prodierunt nobis sermones de Paradyso, sermones Iordanis, sermones Voraginis: sermones Roberti de Litio: & cæteri qui nũc suapte sponte abierunt in obliuionem, ut iam nihil sit opus quenquem ab horum imitatione deterrere. Hæc Erasmus.

Analysis auscultationis.

Hactenus lectionis Analysis fuit: sequitur Analysis auscultationis. Ea est orationis aut concionis, quæ dicitur aut habetur. Et viua quidem vox animam addit lectioni: & pronunciationis, in qua plurimum situm est, viuum exemplum præbet. Sunt ergo in primis concionatores docti, prudentes, & eloquẽtes multũ audiendi: sed sunt etiam mediocres & mali concionatores audiendi: ad vitia cauenda.

Cicero de claris Oratoribus: Florente, inquit, Hortensio, nos in forum venimus. Reliqui, qui tunc temporis principes numerabãtur, in magistratibus erant, quotidieq; ferè à nobis in cõcionibus audiebant. At me cupidissimũ, Oratores, primus dolor percussit: cum Cotta expulsus est. Reliquos frequenter audiens, acerrimo studio tenebar.

Fabius lib. 10. ca. 5. Iuuenis, inquit, qui artem didicit, & exercere se cœpit, Oratorẽ sibi aliquem eligat, quem sequatur, quẽ imitetur. Iudicijs intersit quàm plurimis; & sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator.

Erasmus de Concionandi ratione lib. 2. Profuerit, inquit, adolescentem concioni destinatum, frequenter ad

eloquentium hominum conciones adducere, ac paulatim consuefacere: vt meminerint, ac reddant, quę audierint. In hoc, vbi profecerint, deinceps admonendi sunt: si quid in ea concione dictum fuit, annotatu dignum: si quis nodus scitè dissolutus: si quis Scripturæ locus accuratè explanatus: si quod πάθος tractatum grauiter: si qua sententia dicta est, arguta & elegans. Super his admonitus puer, ipse per se consuescet animaduertere similia. Contrà si quid exciderit, reprehensione dignum: vt excidunt sępè permulta: & illa profuerit indicare adolescẽti, sed citra petulantiam, ne per hanc occasionem obrepat maledicentiæ vitium, & Ecclesiastæ contemptus. Indicanda sunt Ecclesiastæ errata: sed excusatione ciuili mitiganda.

Quanquam autem illi potissimùm sunt audiendi, qui dicunt optimè: tamen expedit interdum & indoctè dicẽtes, audire. Quò magis appareat, quid deceat, quid non deceat. Hoc videlicet consilio solebant Lacedęmonij Helotas suos ebrios, adhibere cõuiuiis: & ad barbaricas conciones, & ridiculas saltationes adigere, quò magis adolescentes ingenui, cõspecta turpitudine, à seruilibus moribus abhorrerent. Hæc Erasmus.

GENESIS.

HActenus Analysis fuit, sequitur Genesis. Ea est propriè orationis vel concionis meditatio & effectio, quę virtutes alienæ orationis imitatur. Hæc autem ad dicendi facultatem parandam vim habet maximam. Cognitionem enim & artis & exempli viuam & efficacẽ efficit. Qui autẽ sola cognitione instructus est: Hermes Passonis est: de quo est apud Aristotelem in Metaphysicis lib. 9. cap. 8. Sola enim scientia habitum non gignit:

qui

qui ijs tātùm actionibus paratur, quas postea ex se profert. Vt enim ædificator non fit, qui nihil ędificat: nec cytharœdus, qui nihil cythara canit: Ita cōcionator nō fit, qui nunquam conciones meditatur, nec concionando se exercet.

IMITANDI RATIO.

HAEc ergo Genesis sine imitatione, recta esse nullo modo potest. Imitatio autem non solùm verborū: sed rerum etiam esse debet. Fabius lib. 10. cap. 2. Pleriq;, inquit, cùm verba quædā, ex orationibus excerpserunt, aut aliquos compositionis certos pedes, mirè à se, quę legerunt, effingi arbitrātur. Et paulò pòst: Ociosi & supini, si quid modo longiùs circumduxerunt, iurant, ita Ciceronem loquuturū fuisse. Noueram quosdā, qui se pulchrè expressisse, genus illud cœlestis huius in dicē do viri, sibi viderentur: si in clausula posuissent: *ESSE VIDEATVR.*

Imitatio autem non sit tantùm in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris, in rebus atq; personis: quod consilium, quæ dispositio, quid agatur proœmio: quę ratio & quā varia narrādi, quę vis probandi & refellendi: quanta in affectibus omnis generis mouendis scientia, &c. Hæc si peruiderimus: tum verè imitabimur.

Imitatio rudiorum hebetiorum.

Imitatio ergo duplex est: vna rudiorum: altera perfectiorum. Rudiorū est, quæ exemplum orationis propositum totum nihil immutatum exprimit. Sic pictor rudis picturam in tabula propositam ijsdem lineamētis & coloribus per omnia exprimit. Sic pueri ductus literarum sibi præscriptos sequuntur.

Imitatio

Imitatio perfectiorum.

Perfectiorum est, quæ non idem exemplum, sed aliud exemplo proposito aliqua ex parte simile exprimit. Hæc imitatio artificiosa etiam & occulta dici potest. Quæ nõ omnia ab alio alijsúe dicta: sed præcipua tantùm imitatur. Hæc autem triplici ferè ratione fit. Primò, additione: secundò, detractione: tertiò, immutatione, tùm rerum, tùm verborum. Fabius lib. 10 ca. 2. Qui, inquit, propria his bona adiecerit, vt suppleat, quæ deerant: & circumscidat, si quid redundabit: is erit, quem quærimus, perfectus Orator. Quem nunc consumari, potissimùm oportebat, cum tantò plura exempla benè dicendi supersint: quàm illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Atq; hac de re & imitationis arte in additione, subtractione, & immutatione, eleganter & eruditè scriptum est, à Sturmio, de Imitatione, lib. 3. cap. 3. & 4.

Perfectiorum delectus.

In hac Imitatione hæc consideranda sunt. Primùm, In Imitatione delectus habendus est, & ex pluribus bonis, quod optimum videbitur, ad imitãdum, eligendum est. Fabius lib. 10. cap. 2. Etiam hoc, inquit, incommodi, accidere solet ijs, qui se uni alicui generi dediderunt: vt si asperitas his placuit alicuius, hanc etiam in leni & remisso caussarum genere, nõ exuant: si tenuitas aut nuditas, in asperis grauibusq; caussis, ponderi rerum parùm respondeant. Cùm sit diuersa non caussarum modò, inter ipsas conditio, sed in singulis etiã caussis, partiũ. Suntq; alia leniter, alia asperè, alia cõcitatè, alia remissè, alia docendi, alia mouendi gratia, dicenda. Quorum omnium dissimilis atq; diuersa inter se ratio est.

Itaq; ne hoc quidẽ suaserim, vni se alicui propriè, quẽ per omnia sequatur, addicere. Lõgè perfectissimus Græcorum

corum

corum Demosthenes: Aliquid tamē, aliquo in loco, melius alij, plurima ille, sed non qui maximè imitandus, solus etiam imitandus est.

Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo Marcus Tullius dixit? Mihi quidē satis esset, si omnia cōsequi possem. Quid tamen noceret, vim Cæsaris, asperitatem Cęlij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui, quibusdam in locis assumere? Nam præter id, quod prudentis est, quod in quoq; optimum est, si possit suum facere: tùm in tanta rei difficultate, vnum intuentes vix aliqua pars sequitur. Ideoq; cùm totum exprimere, quem elegeris, penè sit homini inconcessum, plurimum bona ponamus ante oculos, vt aliud ex alio hæreat: & quo quisq; loco conueniat, aptemus. Oratori igitur & concionatori non unus, quamuis præcipuus sit, imitandus est: vt ait etiam Seneca lib. 1. Controuersiarū: sed plures boni imitandi sunt.

Deinde in ipsis bonis, virtutes nō vitia imitanda sunt: & cauendum ne vitia pro virtutibus amplectamur & sequamur. Nam in magnis quoq; autoribus, incidunt aliqua vitiosa, & inter ipsos mutuo reprehensa. Vt ait Fabius lib. 10. cap. 1. & cap. 2. Neq; id, inquit, statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni autores dixerunt, vtiq; esse perfecta. Nam & labuntur aliquādo, & oneri cedūt, & indulgēt ingeniorum suorum voluptati. Nec semper intendunt animum: & nonnunquam fatigantur, cùm Ciceroni dormitare interdum Demosthenes, Horatio verò etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt: homines tamen. Acciditq; ijs, qui quicquid apud illos repererint, dicendi legem putant, vt etiam deteriora imitentur: id enim facilius est, ac se abundè similes putent, si vitia magnorum consequantur.

Et Cicero de Oratore 2. De eorum, qui à nobis auditi sunt, imitatione, in persona Antonij, sic ait: Tum accedat exercitatio, qua illos, quos antè delegerit, imitando effingat: atq; ita exprimat, non vt multos imitatores sæpè cognoui, qui aut ea, quæ facilia sunt, aut illa, quæ penè vitiosa sunt, consectentur imitādo. Nihil est facilius, quàm amictum imitari alicuius, aut statum, aut motum. Si verò etiam vitiosi aliquid est, id sumere, & in eo vitiosum esse, non magnum est. Vt ille, qui nunc etiam amissa voce fuerit in republica Fusius, neruos in dicendo Fimbriæ, quos tamen habuit ille, non assequitur: Oris prauitatem, & verborum latitudinem imitatur.

Decori ratio in imitatione habenda.

Secundò, In imitatione decori ratio habenda est: ne ita imitationi superstitiosè nos astringamus, vt aliquid à persona nostra & auditorum, re proposita, loco & tempore, abhorrens & alienum dicamus. Multa enim sunt in orationibus & concionibus aliorum, quæ ab ipsis suo loco & tempore aptè dicta sunt: ab alijs autem alio loco & tempore minus aptè dicerentur. Fabius lib. 10. cap. 3. In imitando, inquit, vidēdum, quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui iudicis animus.

Ingenij proprij ratio.

In primis autem cuiq; suæ naturæ & ingenij ratio habēda est, ne quid imitari conetur, quod per naturā aptè exprimere nequeat. Vt enim sua cuiq; facies est: ita suū cuiq; ingenium est, quod ab alijs exprimi non potest per omnia. Quintilianus lib. 10. ca. 2. Ea, inquit, quæ in Oratore maxima sunt, imitabilia non sunt: Ingenium, inuentio, vis, facilitas, & quicquid arte non traditur. Et paulò pòst: In suscipiendo onere, suas quisq; vires consulat. Nā

quædam

quædam ſunt inimitabilia, quibus infirmitas naturæ nō ſufficiat: aut diuerſitas repugnet. Et notum eſt illud Horatij: *Tu nihil inuita dices, facieſúe Minerua.*

AEMVLATIO.

Tertiò & poſtremò, in robuſtioribus & exercitatis, qui iudicio & vſu iam valent, ad imitationem tādem accedere debet etiam æmulatio: qua nō ſolùm ſimilia, ſed etiam meliora, & melius dicere conētur. Fabius lib. 10. cap. 2. Ante omnia, inquit, imitatio ipſa per ſe non ſufficit: vel quia pigri eſt ingenij, contentum eſſe ijs, quę ſunt ab alijs inuenta. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerūt: Si homines nihil niſi quod iam cognouiſſent, faciendum ſibi, aut cogitandum putaſſent? nempè nihil fuiſſet inuentum. Cur igitur nefas eſt reperiri aliquid à nobis, quod antè non fuerit? An illi rudes, ſola natura mentis ducti ſunt in hoc, vt tam multa generarent: nos ad quærendum non eo ipſo cōcitemur: quod certè ſcimus inueniſſe eos, qui quæſierūt? Et cùm illi, qui nullum ullius rei habuerunt magiſtrum, plurima in poſteros tradiderunt, nobis uſus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit: Sed nihil habebimus niſi beneficij alieni? Quemadmodum quidam pictores in id ſolum ſtudent, vt deſcribere tabulas menſuris & lineis ſciant.

Turpe etiam illud eſt, contentū eſſe id cōſequi, quod imiteris. Nam rurſus, quid erat futurum, ſi nemo plus effeciſſet eo, quē ſequebatur. Nihil in poëtis, ſupra Liuiū Andronicum: nihil in hiſtorijs, ſupra Pōtificum annales haberemus, ratibus adhuc nauigaremus: non eſſet pictura, niſi quæ lineas modò extremas vmbræ, quàm corpora in Sole feciſſent, circumſcriberet. Ac ſi omnia percenſeas, nulla ſit ars, qualis inuenta eſt: nec intra initium



ſtetit. Niſi fortè noſtra potiſſimùm tempora damnamus huius infœlicitatis, vt nunc demum nihil creſcat. Nihil enim creſcit ſola imitatione.

Quod ſi prioribus adijcere, fas non eſt, quomodo ſperare poſſumus illum perfectum Oratorem? cùm in ijs, quos maximos adhuc nouimus, nemo ſit inuentus, in quo nihil aut deſideretur, aut reprehendatur.

Sed etiam qui ſumma non appetunt, contendere potius, quàm ſequi debẽt. Nam qui agit vt prior ſit, forſan, etiamſi non tranſierit, æquabit. Eum verò nemo poteſt æquare, cuius veſtigijs ſibi vtiq; inſiſtendum putat. Neceſſe eſt enim ſemper ſit poſterior, qui ſequitur.

Adde quod plerumq; facilius eſt, plus facere, quàm idem. Tantam enim difficultatem habet ſimilitudo, vt ne ipſa quidem natura, in hoc ita eualuerit, vt non res, quæ ſimillimæ videantur, diſcrimine aliquo diſcernantur, &c. Hæc Fabius. Atq; hæc de imitatione in Geneſi.

Geneſis ſcripturæ.

Geneſis duplex eſt: Vna ſcripturæ: altera vocis viuæ: quæ duę mutuas operas tradunt, & inuicem proſunt.

Scribendi exercitatio prior eſſe debet. In qua penè incredibilis veterum Oratorum diligentia fuit. Nam vt Craſſus apud Ciceronẽ de Oratore lib. 1. ait: Qui à ſcribendi conſuetudine, ad dicendum venit, hanc adfert facultatem: vt etiamſi ſubitò dicat ſine meditatione: tamen illa, quæ dicãtur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur. Et ſi in dicendo, aliquando ſcriptum attulerit aliquid, cùm ab eo deceſſerit, reliqua ſimilis oratio cõſequatur. Vt concitato nauigio, cùm remiges inhibuerũt: retinet tamen ipſa nauis motum ſuum & curſum, intermiſſo impetu pulſuque remorum: Sic in oratione perpetua, cùm ſcripta deficiunt: parem tamen obtinet oratio reli-

qua cursum,scriptorum similitudine & vi concitata.

Caput igitur est, quod, vt verè dicã, minimè facimus: est enim magni laboris, quẽ pleriq; fugimus, quàm plurimùm scribere. Stylus enim optimus & prestantissimus dicendi effector & magister est. Neq; iniuria. Nam si subitam & fortuitam Orationem cõmentatio & cogitatio facilè vincit, hanc ipsam profectò assidua & diligens scriptura superabit.

Et in persona Antonij lib. 2. Hanc, inquit, similitudinẽ, qui imitatione assequi velit: tùm exercitationibus crebris atq; magnis: tùm scribendo maximè persequatur. Quòd si hic noster Sulpitius faceret, multò eius oratio esset pressior. In qua nunc interdũ, vt in herbis rustici solent dicere: In summa vbertate inest luxuries quædam, quæ stylo depascenda est.

Et Cicero de sese in claris Oratoribus: Nos, inquit, nõ desistebamus, cùm omni exercitationũ genere, tùm maximè stylo, nostrum illud quod erat augere, quodcunque erat.

Fabius lib. 10. ca. 3. Vt laboris, inquit, sic vtilitatis etiã longè plurimum affert stylus. Nec immeritò Marc. Tull. hunc optimum effectorem & Magistrum dicẽdi vocat. Cui sententiæ personã Lucij Crassij, in disputationibus, quæ sunt de Oratore, assignando, iudicium suum cum illius autoritate coniunxit. Scribendum ergò quàm diligẽtissimè, & quàm plurimùm. Nam vt terra altè effossa, generandis, alendisq; seminibus fœcundior est: Sic profectus non à summo petitus, studiorum fructus effundit vberiùs, & fideliùs continet. Nam sine hac quidem diligentia, ipsa illa ex tẽpore dicendi facultas, inanem modò loquacitatem dabit, & verba in labris nascentia. Illis radices, illic fundamẽta sunt: illic opes, velut sanctio-

re quodam ærario reconditæ. Vnde ad ſubitos quoq; caſus, cùm res exigit, proferãtur. Vires firmamus ante omnia, quæ ſufficiant labori certaminum, & uſu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipſa natura voluit magnũ effici citò. Præpoſuitq́; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem, quæ naſcendi quoq; hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutiùs viſceribus parentum continerentur.

QVO MODO SCRIBENDUM SIT.

Modus autem & ratio ſcriptionis eſt, vt ſit diligens & accurata. Diligentia autem non æſtimatur multitudine aut copia: ſed aſſiduitate & bonitate operis. Nam quod dicitur plurimum ſcribendum eſſe, id nõ menſurandum eſt vlnis, aut paginarum multitudine, aut verſuum copia: ſed diligentia & aſſiduitate quotidiana: tum bonitate, aut perfectione, aut perficiendi cura & ſolicitudine. Fabius loco citato: Sit primo, inquit, vel tardus, dum diligens ſtylus. Citò ſcribendo non fit, vt benè ſcribatur: benè ſcribẽdo fit vt citò. Item hanc moram & ſolicitudinem initijs impero. Nam primum hoc conſtituendum, hoc obtinẽdum, vt quàm optimè ſcribamus. Celeritatem dabit conſuetudo. Sic ſcripſiſſe Saluſtium accepimus: & ſanè manifeſtus eſt etiam ex opere ipſo labor. Virgilium quoq; pauciſſimos die compoſuiſſe verſus autor eſt Varus.

Vt autem omnia diligentiùs inter ſcribendum conſiderentur & expẽdantur, repetenda ſępiùs erunt ſcriptorum proxima. Nam præter id, quod ſic melius iungũtur prioribus ſequentia: Calor quoq; ille cogitationis, qui ſcribendi mora refrixit, recipit ex integro vires: & velut repetito ſpacio ſumit impetum. Quod in certamine ſaliendi,

liendi, fieri videmus, vt conatum longiùs petant: & ad illud quo contenditur ſpacium, curſu ferantur. Vtq; in iaculando, brachia reducimus, & expulſuri tela, neruos retrò tendimus. Interim tamen ſi feret flatus, danda ſunt vela.

Quibuſdam autem placet, primò decurrere per materiam, ſtylo quàm velociſſimo, qui ſequẽtes calorem atq; impetum ex tempore ſcribunt, hanc ſyluam vocant. Repetunt deindè & componunt, quæ effùderant. Sed hæc ratio ſcribendi Fabio minus placet, qui eam vitium vocat. Quæ tamen ingenijs quibuſdam magis conuenire videtur.

De emendatione ſcriptionis.

Scriptionem neceſſariò ſequitur & ſequi debet ſcripti totius repetitio & emendatio. Ea vitia in ſcribendo commiſſa tollit. Fabius lib. 10. cap. 4. Hæc, inquit, pars ſtudiorum longè vtiliſſima eſt. Neq; ſine cauſſa creditum eſt: ſtylum nõ minus augere cùm delet. Huius autem operis eſt adijcere, detrahere, mutare. Hac emendatione omnes & Poëtæ & Oratores vſi ſunt, vnde & Horatius de arte Poëtica:

-vos ô
Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quòd non
Multa dies & multa litura cohercuit, &c.

Gellius lib. 18. cap. 10. Amici, inquit, familiaresq; Publij Virgilij, in ijs quę de ingenio moribusq; eius, memorię tradiderũt: dicere eũ ſolitũ ferunt: parere ſe verſus ritu atq; more vrſino. Nam vt illa Beſtia fœtum ædere ineffigiatum, informemq;: lambendoq; id poſtea, quod ita ædidiſſet, cõformaret & fingeret: proindè ingenij quoq; ſui partus recentes, rudi eſſe facie & imperfecta: ſed de-

inceps

inceps tractando, colendoq; reddere se ijs, oris & vultus lineamenta.

Verùm vt styli: ita etiam emendandi laborem pleriq; fugiunt. Est enim cum magna difficultate summa & molestia coniunctus labor. Horatius in Poëtica:

Nec virtute foret, clarisúe potentius armis,
Quam lingua Latium: si non offenderet vnum
Quemq; poëtarum limæ labor & mora.

Et Ouidius de Ponto 1. Eleg. 8:

Cum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno
Me quoq;, qui feci, plurima digna Lini.
Nec tamen emendo. Labor hic quam scribere maior:
Mensq; pati durum sustinet ægra nihil.

Et tertio, Elegia 9:

Ipse ego librorum video delicta meorum,
Cum sua plus iusto, carmina quisq; probet.
Iudicium tamen hoc nostrum non decipit error:
Nec quicquid genui: protinus illud amo.
Cur igitur si me videam delinquere, peccem?
Et patior scripto crimen inesse rogas.
Non eadem ratio est, sentire & demere morbos.
Sensus inest cunctis: tollitur arte malum.
Sæpè aliquod verbum cupiens mutare, relinquo:
Iudicium vires destituuntq; meum.
Sæpè piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)
Corrigere: & langui ferre laboris onus.
Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem:
Cumq; suo crescens pectore feruet opus.
Corrigere at res est, tantò magis ardua: quantò
Magnus Aristarco maior Homerus erat.

EMEN-

*EMENDATIONIS RA-
tio & modus.*

Emendatio autem, vt diximus, eſt adijcere ea, quę deſiderantur: detrahere ſuperflua: mutare ea, quæ mutanda eſſe videntur, tùm in rebus, tùm in verbis. Non eſt autem dubium, inquit Fabius, optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea, poſt interuallũ, velut noua atq; aliena redeamus. Ne nobis ſcripta noſtra tanquã recentes fœtus blandiãtur. Hoc tamen de tempore exercitationis intelligendũ eſt. Nam Oratori & Cõcionatori ſæpè ad pręſentes vſus ſcribere neceſſe eſt.

Emendatio autem ipſa modum etiam & finem habere debet, ne nimia ſit. Sũt enim quibus nihil ſatis eſt. Omnia mutare, omnia aliter dicere quã occurrit, velint: increduli quidam, de ingenio ſuo peſſimè meriti, qui diligentiam putant, facere ſibi ſcribendi difficultatem, qui ad omnia tanquam vitioſa redeunt: & quaſi nihil fas ſit, rectum eſſe, quod primum eſt: melius exiſtimant quicquid eſt aliud: ſimiles medicis, qui etiam integra ſecant: Quo nomine etiam Prothogenes ab Apelle reprehenſus eſt, quòd manũ è tabula tollere neſciret, vt eſt apud Plinium lib. 35. cap. 10. Et apud Eraſinum in prouerbio: Manum de tabula tollere.

Accidit autem etiam ingenioſis adoleſcentibus frequenter, vt in ſilentium vſq; deſcendant, nimia benè dicendi cupiditate. Qua de re memini, inquit Fabius lib. 10. cap. 3. narraſſe mihi Iulium Secundum illum æqualem meum, atq; à me vt notum eſt, familiariter amatum, miræ facundiæ virum: infinitæ tamen curæ, quid eſſet ſibi à patruo ſuo dictum: is fuit Iulius Florus, in eloquẽtia NB.

Galliarum, quoniam ibi demũ exercuit eam, princeps. Is cùm Secundum ſcholæ adhuc operatum, triſtem fortè vidiſſet, interrogauit, quę cauſſa frontis tam adductę? nec diſſimulauit adoleſcẽs: tertiũ iam diem eſſe, ex quo, omni labore, materiæ ad ſcribẽdum deſtinatæ non inueniret exordium. Quò ſibi non pręſens tantùm dolor: ſed etiam deſperatio in poſterum fieret. Tùm Florus, arridens: Nũquid tu, inquit, melius dicere vis, quàm potes? ita ſe res habet: curandum eſt, vt quàm optimè dicamus. Dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus eſt ſtudio, non indignatione.

Sit igitur aliquando quod placeat, aut certè quod ſufficiat, vt opus poliat lima, non exterat. Temporis quoq; in ſcribendo & emendando modus eſſe debet. Nã quod Cinnæ Smirnam nouem annis accepimus ſcriptã: & Panegyricum Iſocratis, qui parciſſimè dicũt, decem annis dicunt elaboratũ: Et Horatius iubeat ſcriptum in annũ nonum præmi: ad Oratorem aut concionatorem nihil pertinet, cuius nulla erit, ſi tam tarda erit oratio.

DE EMENDATIONE ALIENA.

EMendatio non ſolùm propria: ſed etiam aliena eſſe debet. Quia noſtra ſcripta aliorum iudicio & cẽſuræ ſubijcimus. Hæc etiam neceſſaria eſt. Nam vt dici ſolet: plus vident oculi, quàm oculus. Et difficiliùs propria vitia & errata, quàm aliena videmus. Vnde Ouidius de Ponto Elegia 9:

Nam ſua plus iuſto carmina quiſq; probat.
Autor opus laudat. Sic forſitan Accius olim.
Therſiten facie dixerit eſſe bona.

Atq; hinc fit, quòd qui hanc cenſuram refugiat rarò veram eloquentiam conſequatur. Quare hunc ſuæ ſtultitiæ

titię permittẽdum esse censet Quintilianus apud Horatium in Arte:

Si defendere delictum, quàm vertere mallet:
Nullum vltra verbum, aut operam sumebat inanem:
Quin sine riuali, teq; & tua solus amares.

Et paulò pòst:

Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.

Hîc ergò fideles monitores & censores in consilium adhibendi sunt. Qui non assentari, & vitia etiam laudare, sed fideliter monere, & errata monstrare, & emendare velint. Ac primum omnium præceptores & seniores. Horatius in Arte:

Quintilio si quid recitares, corrige sodes
Hoc aiebat & hoc. Melius te posse negares
Bis terúe expertum frustra: delere iubebat
Et malè tornatos incudi reddere versus.

Et paulò pòst:

Vir bonus & prudens versus reprehendit inertes
Culpabit duros: incomptis allinet atrum
Transuerso calamo signum: ambitiosa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit.
Fiet Aristarcus, nec dicet: Cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel, exceptumq; sinistrè.

De sociorũ admonitionibus & emendationibus mutuis, exemplum est in Ouidio de Ponto lib. 4. Elegia 12. ad Tuticanum:

Tu bonus hortator, tu duxq; comesq; fuisti,
Cùm regerem tenera fræna nouella manu.

Sæpè ego correxi ſub te cenſore libellos:
Sæpè tibi admonitu facta litura meo.

Atq; hæc de ſcriptione & emendatione in genere. Nã quæ de loco & tempore, ſolitudine, ſilentio, aurora, lucubrationibus nocturnis, & chartæ etiam ratione, præcipi ſolent, huius loci non ſunt: & à Fabio lib. 10. cap. 3. peti poſſunt.

Debet igitur concionandi ſtudioſus, conciones multùm & aſſiduè ſcribere & emẽdare: idq; in primis lingua vernacula. Atq; hæc concionum ſcriptio rurſum duplex eſſe debet: Vna, qua quis ex alienis ſuas faciet: altera, qua quis ſuas ex integro componit. Prior eſt imitationis rudis & ſimplicis. Hîc ergò primùm conciones lectæ & auditę manu propria deſcribendæ ſunt. Deindè conciones lectæ, peregrini Idiomatis, Germanicæ, Latinæ, ac Græcæ deniq; veterum, in Linguam vernaculam ſtylo transferendæ & deſcribẽdæ ſunt. Atq; hoc modo etiam Oratores Romani vſi ſunt.

Craſſus de Oratore lib. 1. Poſtea, inquit, mihi placuit, eoq́; ſum vſus adoleſcens, vt ſummorum Oratorũ Græcas Orationes explicarem. Quibus lectis hoc aſſequebar, vt cum ea, quæ legerem Græcè, Latinè redderem, non ſolùm optimis verbis vterer: ſed etiam exprimerẽ quædam verba imitando, quæ noua noſtris eſſent, dummodò eſſent idonea.

Et Cicero ipſe hac ratione orationes duorum ſummorum Oratorum Gręcorum, Demoſthenis & Aeſchinis in Latinam linguam conuertit. Quarum Prooemium tantùm adhuc extat, titulo de optimo interpretandi genere.

Fabius lib. 10. cap. 5. Sed de quo nunc agimus: Vnde copia & facilitas maximè veniat: vertere Græca in Latinum,

tinum, veteres Græci oratores optimum iudicabant. Id se Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris, dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissimè præcipit. Quin etiam libros Platonis, atq; Xenophontis, edidit hoc genere translatos. Id Messalæ placuit, multæque sunt ab eo scriptæ ad hunc modum orationes: adeò vt etiã, cum illa Hipparidis pro Phryne, difficillima Romanis subtilitate, contenderit. Et manifesta est exercitationis huiusce ratio. Nam & rerum copia Græci autores abundant, & plurimum artis in Eloquentiam intulerũt: & hos transferentibus, verbis vti optimis licet. Hæc ille.

Hæc autem versio non verbalis & κατὰ πόδα, vt Iurisconsulti loquuntur, sed sententiæ esse debet: quæ non verba annumeret: sed sensum appẽdat. Interdum etiam liberior quædam Paraphrasis adhiberi debet.

Posterior ratio, ad imitationem perfectiorum spectat. Itaq; prouectiores & perfectiores ex sese, suo ingenio & memoria, conciones scribere, & componere debent. Vt Araneoli telam ex se texunt. Et hîc non solùm conciones integræ: sed etiam partes concionum scribendæ & componendæ sunt. Atq; hinc singuli etiam Loci cõmunes Theologici, ad formam concionis, lingua vernacula stylo exponi possunt.

Cùm autem conciones ferè nostræ omnes Theticæ & generales sunt, dignum est consideratione, quod Fabius ait lib. 10. cap. 5. Plurimum, inquit, parari facultatis existimo ex simplicissima quaq; materia. Nam in illa multiplici personarum, caussarum, temporum, locorũ, dictorum, factorum diuersitate, facilè delitescet infirmitas: tot se vndiq; rebus, ex quibus aliquam apprehẽdas, offerentibus. Illud virtutis indicium est, fundere quæ natura contracta sunt, augere parua, varietatem similibus,

voluptatem expositis dare, & benè dicere multa de paucis. In hoc optimè facient infinitæ quæstiones, quas vocari θέσεις diximus: quibus Cicero princeps in Republica exerceri solebat. Hæc ille. De exercitio autē Ciceronis vide ad Atticum pag. 136. & 142.

Hîc etiam eadem concio, concionis pars atque sententia, pluribus interdum odis tractanda est. Fabius lib. 10. cap. 5. Non aliena tantùm transferre: sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit, velut eâdem cera aliæ atq; aliæ formæ duci solent.

Concionator autem, qui in officio versatur, tum optimè dicturus est: si quoties ei ad populum dicēdum erit, prius quàm poterit accuratissimè, cōcionem vel totam vel maxima ex parte lingua populari domi conscribat atque ediscat.

DE GENESI VIVAE VOCIS.

HActenus Scripturæ Genesis fuit: sequitur viuæ vocis. Ea est cùm Oratio vel Concio, apud auditores, decenti actione adhibita profertur. Quæ tùm in schola, tùm domi fieri potest. Et in genere declamatio dici. Quæ vox Ciceronis primùm tempore nata esse videtur. Græci verò propè iisdem temporibus, à cura & diligentia styli præcedente μελέτην appellarunt. Olim autē δημηγορία quasi sermo popularis, dicta est, vt ex Theæteto Platonis apparet.

Atq; inde vsq; à Gorgia Leontino, Isocrate, Aristotele, ad Gregorij Nazianzeni, & Chrysostomi tempora apud Græcos vsitata fuit. Romæ verò tempore Ciceronis primùm introducta videtur: Quamuis in sermonibus de oratore, Lucio Crasso & Marco Antonio Cicero eam tribuat. Atq; inde à Cicerone vsq; ad Senecę, Plinij,

& Quintiliani tempora Romæ durauit.

Vt autem in diſciplina militari, tyronum ad palum cõflictatio, ac ſi ea inſtructio, procurſiones, miſſiones iaculorum, petitionesq; vmbratiles, tyrones ipſos ad verum conflictum paratiores reddunt: Ita hoc declamandi exercitium, Eloquentiæ Sacræ candidatum, ad dicendum in Eccleſia paratiorem reddit, aut reddere debet.

Vt igitur olim declamatio forenſium cauſſarum meditatio fuit: ita nunc ſacrarum concionum maximè eſſe debet. Hæc ergò earum quam ſimillima rebus & verbis eſſe debet. Quod de forenſibus requirit Fabius lib. 2. ca. 10. Declamatio, inquit, quoniam iudiciorum, conſiliorumque imago eſt, ſimiles eſſe debet veritati. Et paulò antè: Declamandi opus, ſi foro non præparat, aut Scenicæ oſtentationi, aut furioſæ vociferationi, ſimillimum eſt.

Debet autem etiam hæc exercitatio, non aliter atque ſcriptio aſſidua eſſe. Neque enim ſufficiens conſuetudo ſcholarum eſſe videtur, qua toto anno, aut biennio, aut ampliùs vnica tantùm declamatio ab vno recitatur. Longè enim alia veterum conſuetudo fuit. Fabius lib. 10. cap. 5. Obſtat, inquit, huic frequens turba diſcipulorum, & conſuetudo claſſium, certis diebus audiendarum. Nonnihil etiam obſtat perſuaſio patrum numerantium potiùs declamationes, quàm æſtimantium.

Et Cicero de ſe inquit: Commentabar declamitans (ſic enim nunc loquuntur) ſæpè cum Marco Piſone, aut cum Pompeio, aut cum aliquo, quotidie. Deindè valetudinis & vocis cauſſa, in Græciam profectus, aſſiduè apud Græcos præceptores, declamauit, & biennio pòſt reuerſus in patriam, hac aſſidua ſcribendi & declamandi exercitatione, Hortenſium, tum dicendi in foro Ro-

mano

mano principem, aliosque omnes superauit. Et in Tusculana prima: Nemo, inquit, me diutiùs caussas declamitabat. Et Fabius lib. 10. Hanc consuetudinem vtilem esse affirmat, non modò dum adolescit profectus: sed etiam cùm sit consumatus, & iam in foro clarus. Ex quibus omnibus apparet maiorem longè diligentiam & assiduitatem veterum olim fuisse quàm nunc est.

Emendatio pronunciationis.

In hac etiam exercitatione, emēdatio adhibenda est, fidelis monitoris, præceptoris aut socij: qua vox & pronunciatio & gestus, si quid in ipsis vitij est, corrigatur.

Recitatio.

Hæc exercitatio rursum duplex est: Scripti & Memoriæ. Scripti est, quando oratio ex scripto recitatur. Et priuatim recitatio dici potest. Hæc rudiorum & imperfectiorum, olim in scholis Rhetorum, erat. Et hodiè, sola ferè in scholis plerisq; vsitata est.

Poëtę quidem olim sua carmina etiam recitabāt: sed non tàm emendationis, quàm ostentationis caussa. De correctione illud Horatij esse videtur in Arte:

Quintilio si quid recitares: corrige sodes
Hoc aiebat & hoc.

De ostentatione passim dicitur. Horat. in Arte:

Indoctum doctumq; fugat, recitator acerbus.

Et Sermonum 1. Satyra 4:

Non recito cuiquam nisi amicis: idq; coactus:
Non vbi vis, coramq;, cuilibet, in medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi,

Et Ouidius de Ponto 3. Elegia 5:

Et quibus aut recitas, factum modò carmen amicis?

Aut

Aut quod sæpè soles, exigis vt recitent?

Vnde & Iocus Martialis lib. 2:

Carmina Paulus emit: rec at sua carmina Paulus.
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

DICTIO.

Memoriæ declamatio est, cũ oratio ex memoria pronunciatur. Et specialiter declamatio dici potest. Hęc longè vtilissima est, & magis vocem & memoriam etiã exercet. Et olim perfectiorũ erat, & vsus frequentissimi. Quę nunc etiam ab Eloquentiæ sacræ candidatis plurimùm exercenda esset.

Atq; hæc iam non tãtùm in cœtu & vmbra scholastica, aut inter cõmilitones priuatim fieri debet: Sed etiam in populi coronam & frequentiam interdum educenda est, ne adolescentes semper in rerum imagine & simulachris tantùm detenti, cùm ad rem ventũ fuerit, quasi Solem reformident. Quod accidisse Porcio Latroni scribitur. Qui cùm primus esset clari nominis professor, summamq; in schola opinionẽ obtineret, cumq; caussa ei in foro esset orãda, impensè petijt vt subsellia in Basilicam transferrentur. Ita illi cœlum nouum fuit, vt omnis eius eloquentia tecto ac parietibus cõtineri videretur: vt est apud Fabium lib. 10. cap. 5.

Dictio aliena.

Hęc rursùm duplex est: Aliena aut propria. Aliena est, cùm Oratio ab alio scripta, memoriæ mandatur & pronunciatur. Propria est, quam quis ipse cõponit & ex se, vt Orationem texat. Estq; duplex: Meditata & Extemporalis. Meditata est, quã meditatio præcessit. Hæc semper tutissima est, & ad benè dicendũ vtilissima. Vnde & Demosthenes de se dixisse fertur: Se si posset, nõ modò scripta, sed etiam sculpta dicturum esse. Et Cicero de se scri-

bit: Se nunquã nisi paratũ ad dicẽdum accessisse. Meditata duplex est, Scriptionis & Cogitationis. Scriptionis, quam scriptio pręcedit. Cùm videlicet, quæ scripta sunt primùm ediscuntur. Deinde memoriter pronũciantur. Hæc quoties fieri potest, omninò adhibẽda est. Cogitationis est, quam sola cogitatio præcessit. Ea perfectiorũ est. Fabius lib. 10. cap. 6. proxima stylo cogitatio est, quæ & ipsa vires ab hoc accipit: & inter scribendi laborem, & extemporalem fortunam, media quædam, & nescio an vsus frequentissimi. Nam scribere nec vbiq; nec semper possumus. Cogitationi tẽporis ac loci plurimũ est. Hæc paucis admodum horis, magnas etiã caussas complectitur. Hæc quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adiuuatur. Hęc inter medios rerum actus, aliquid inuenit vacui, nec ocium patitur. Hæc autem firmiorem requirit memoriã, eamq; magis exercet. Cicero, inquit Fabius, Græcorum, Metrodorum Scheptium, & Ediphilum Rhodium, nostrorumq; Hortensium, tradidit, quæ cogitauerant, ad verbum in agendo retulisse.

Hìc autem illud Fabij tenendũ est. Si quis, inquit, inter dicẽdum effulserit extemporalis color, nõ superstitiosè cogitatis demũ inhærendũ est. Neq; enim tantùm habẽt curæ, vt non sit dandus etiam fortunæ locus. Cùm sæpè etiã scriptis, ea quæ subitò nata sunt, inserantur. Ideoq; totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, vt & digredi ex eo, & redire in id facilè possimus. Cogitatio in hoc præparetur, vt nos fortuna decipere non possit, adiuuare non possit.

Extemporalis est, cũ sine meditatione vel scriptionis vel cogitationis ex tẽpore fit. Hæc, inquit Fabius lib. 10. cap. 7. maximus est studiorum fructus, & velut pręmium quoddam amplissimũ longi laboris. Quare hęc quidem facultas

facultas magnopere expetēda esset. Sed ea nec satis tuta est, & rarò aut nunquā necessaria vel olim fuit, vel hodie est. Neq; verò, inquit Fabius, tantā esse cuiquam fiduciā facilitatis velim, vt nō breue saltē tempus, quod nūquā ferè deerit, ad ea quæ dicturi sumus, despicienda sumamus. Quòd quidē in iudicijs ac foro datur semper. Neq; enim quisquā est, qui caussam, quam non didicerit, agat.

Vix aut natura, aut ratio in tā multiplex officiū diducere animū potest, vt inuentioni, dispositioni, elocutioni, ordini rerum verborumq;, tum ijs, quę dicit, quæ subiuncturus est, quæ vltrà spectanda sunt, adhibita vocis, pronunciationis, gestus, obseruatione, unus sufficiat.

Declamatores quosdā peruersa ducit ambitio, vt exposita controuersia, protinus dicere velint. Quin etiam quod est in primis friuolum ac Scenicū, verbum petant, quo incipiant. Sed tā contumeliosos in se ridet eloquentia. Et qui stultis videri eruditi volūt, stulti eruditis videntur. Hæc Fabius. Tales autē olim declamatores extēporales esse voluerunt Sophistæ, Gorgias Leontinus, Protagoras, Abderites, & alij: quos ideo Socrates passim apud Platonē exagitat. Quare nunquā nisi summa urgeat necessitas, vlli præsertim Oratori sacro, ex tempore sine scriptionis aut cogitationis meditatione dicendum est. Atq; hactenus exercitatio fuit.

De caussis duabus eloquentiæ proximis autor ad Herennium sic ait: Hæc omnia tribus modis assequi poterimus: arte, imitatione, exercitatione. Ars est pręceptio, quæ dat certam viam, rationemq; dicendi. Imitatio est, qua impellimur diligenti ratione, vt aliquorum similes in dicendo, esse velimus. Exercitatio est, assiduus vsus cō consuetudoq; dicendi.

Quarta eloquentiæ vtilis & efficacis caussa est virtus,

probitas & integritas dicentis, vt videlicet Orator ſit vir bonus. Nam ſi malus eſt, nec ſemper vera & iuſta dicet, nec ſi dicat facilè perſuadebit. Seneca in Procemio con trouerſiarũ: Erratis, inquit, optimi iuuenes, niſi illam vo cē non Marci Catonis: ſed oraculi creditis. Ille ergo vir, quid ait? Orator eſt Marce fili, vir bonus, dicēdi peritus. Et Fabius li. 12. ca. 1. Sit ergo nobis, inquit, Orator, quē inſtituimus, is qui à Marco Catone finitur vir bonus dicendi peritus. Verùm quod ille prius poſuit, etiã ipſa natura potius ac maius eſt, utiq; vir bonus, nõ eo tantùm: quòd ſi vis illa dicendi malitiã inſtruxerit, nihil ſit publicis priuatisq; rebus pernicioſius eloquentia. Sed nos quoq; ipſi, qui pro virili parte, conferre aliquid ad facultatē dicendi, conati ſimus, peſſimè mereamur de rebus humanis, ſi latroni comparemus hæc arma, non militi.

Ariſtoteles Rhetor. lib. 2. ca. 1. Permagni intereſt ad fidē faciendã, vt Orator vir bonus eſſe videatur. Et paulò pòſt: Quod Oratores ipſi fide digni videãtur, tria ſunt in cauſſa. Tot. n. ſunt, quibus ad credēdũ inducimur præter argumēta. Illa ſunt prudētia, virtus, & beneuolentia dicētis. Et aliâs dicitur: Mores dicētis pſuadēt, nõ oratio.

Debet igitur etiã Orator ſacer eſſe vir bonus & pius, qui omnia dicta & facta ad Dei gloriã, & proximi ſalutē referat. Nã vt ait Nazianzenus: Qui benè docet & malè viuit, quod vna manu porrigit, altera ſubtrahit. Vnde & Paulus 1. ad Timoth. 4. & ad Titum 2. Vult concionatorem debere ſemet formam bonorum operum, & typũ eſſe fidelium in tota conuerſatione.

Atq; hactenus quatuor cauſſæ eloquentiæ efficacis & vtilis, oratoribus prophanis & ſacris communes fuêre. Quas Plato breuiter & elegãter in Phedro cõplexus eſt. Si illa, inquit, à natura tibi facultas conceſſa eſt, vt aptus

sis ad dicendũ, tum si doctrina, & exercitatio accesserit, excellens eris Orator. Sin horum aliquod defuerit, mãcus & imperfectus eris. Et paulò pòst: Nisi quis auditorũ ingenia cognouerit & distinxerit, tũ res ipsas in species partiri, & singulis cõuenientes definitiones tribuere nouerit, nunquam dicendi artẽ, quantum quidẽ in hominẽ cadere potest, cõsequetur. Hæc autem sine magno labore comparabit nunquã. In quo vir sapiens nõ idcirco elaborabit, vt dicere & agere apud homines possit: sed vt, quantũ summis viribus anniti poterit, Deo grata dicere & facere possit. Hæc Plato.

Ad has autem quatuor caussas cõmunes naturæ, doctrinæ, exercitationis, & virtutis, accedit quinta in Ecclesia, Sacro Oratori propria, nempè filius Dei, qui est λογος & Orator æterni Patris, & Spiritus Sanctus: eorumq; inuocatio. Sicut scriptũ est Matth. 10. Non estis vos, qui loquimini: sed Spiritus patris vestri, qui in vobis est. Et Lucæ 21. Ego dabo vobis os & sapientiã, cui nõ poterunt resistere. Atq; hactenus caussæ eloquentiæ, & præsidia quibus futurus Orator & Concionator instructus esse debet, fuêre.

EPILOGVS ET SVMMA dictorum.

CAussæ eloquentiæ parandæ quinq; sunt.

Prima.

Natura est, qua quis ad dicendum natura aptus est. Ea est, vel animi, vel corporis. In animo est, primùm ingenij acumen & celeritas ad intelligenda excogitanda, & disponenda ea, quæ ad rẽ propositam explicandã pertinent. Deinde memoriæ firmitas ad ea, quæ cogitata sunt, retinenda. In corpore est conformatio & aptitudo ad rectè & facilè loquendum atq; dicẽdum. Estq; forma

& firmitas, cùm aliorum instrumentorum vocis, vt laterum, pectoris, pulmonum, gutturis: tùm in primis oris & linguæ. Quæ cùm rectè habent, firmitas, facilitas, & bonitas quædam vocis existit.

Secunda cognitio.

Ea duplex est, Generalis & Specialis. Generalis, est linguæ popularis: quæ ex populo petenda est, & artium dicendi, præsertim Rhetoricæ & Dialecticæ, quæ in scholis tradũtur. Specialis, est rei propositæ, & decori, in quo auditorum ingenia cognita esse debent, & quid quouis loco & tempore deceat.

Tertia exercitatio.

Exercitatio duplex est. Analysis & Genesis. Analysis est, alienæ orationis ad imitandum obseruatio. Atq; hîc de imitationis necessitate dictũ est. Analysis rursum duplex est, alia orationis scriptæ, alia eius, quæ dicitur aut habetur. *Genesis.*

Genesis est propriè orationis aut concionis meditatio & effectio, qua virtutes aliorũ imitamur. Atq; hîc de Imitationis varietate & ratione dictum est.

Genesis rursum duplex est: vna scripturę & styli: altera viuæ vocis.

Quarta virtus dicentis.

Quarta caussa, est virtus, probitas, & integritas dicentis, tùm Oratoris, tùm Cõcionatoris. Sine hac enim parum vtilis & efficax omnis eloquentia est.

Quinta.

In Ecclesia ad has quatuor caussas accedit filius Dei & Spiritus Sanctus, eorumq; sedula inuocatio. Vide Augustinum lib 4. cap. 30. de doctrina Christiana.

PRIMAE PARTIS, PRIMI TOMI, DE CONCIONANDI RATIONE Finis.

DE

DE CONCIONANDI RATIONE,

PARS SECVNDA.


ACTENVS pars prior fuit, de caussis eloquentiæ tùm prophanæ, tùm sacræ, quibus & Orator & Concionator instructus esse debet. Nunc de ipsa Concionandi ratione dicendum est. Ea ergo duplex est. Generalis & specialis.

GENERALIS CONCIOnandi ratio.

GEneralis est, quę omni argumento cōpetit, & Oratori & Concionatori communis. Ea est ratio inueniendi, disponēdi, & eloquendi. Quæ duabus prę-cipuè artibus, Rhetorica & Dialectica tradit.

Hæ enim duæ artes rectè & cōmodè traditæ, non solùm ad Scripturam intelligēdam plurimùm faciunt: sed etiam veram Scripturæ tractandæ & explicandæ tùm in Schola, tùm in Ecclesia [illegible]tionem monstrant. Qui vsus, vt rectiùs & meliùs à rudioribus intelligi & conspici posset, nos eas duas artes, non ita dudum, earumq; artium præcepta, quæ ad hanc rem maximè pertinere visa sunt exemplis sacræ Scripturę illustrare conati sumus. Vnde hæc Generalis ratio Scripturæ non solùm intelligendæ: sed etiam tractandæ peti potest. Neq; enim hîc opus est ea præcepta repetere, & nouis exemplis illustrare. Eadē enim præcepta & ad intelligendi & ad dicēdi vsum pertin[illegible]nt: Nec illustriora exempla, ex vllis cōcionibus, prę-ceptorum peti possunt, quàm ex concionibus prophe-

tarum,

tarum, Christi, & Apostolorum.

Summam tamen duarum artium breuiter tãtùm hîc repetam. Dialecticæ partes duæ factæ sunt. Prima, Inuentio argumentorũ, quæ decem sunt: caussa Efficiens, Effectus, Subiectum, Adiunctũ, Dissentaneum, Comparatũ, Diuisio, Definitio, Nomen, Testimonium. Secunda pars, Dispositio, Primùm argumẽti cùm themate simplici, in Enunciato: Deinde argumenti cùm themate cõposito & dubio, in syllogismo. Tertia, argumentorum & enunciatorum variorum ad idem thema pertinentium, in methodo. Rhetoricę itidẽ duæ partes factæ sunt, Elocutio & Pronunciatio. Elocutio in tropis & figuris: Pronunciatio in voce & gestu. Sed nos de pronunciatione ibi non diximus. Quòd ea pars non ad intelligendam Scripturam, sed tantùm ad tractandam, idq; in cõcione populari pertineat. Quare de hac parte infrà suo loco dicemus. Atq; hæc præcepta, artis Dialecticæ & Rhetoricæ sola generalia sunt, & omnibus rebus tractandis communia.

Augustinus in libris de doctrina Christiana, ubi de ratione doctrinæ cœlestis intelligendæ & tractandæ agit, pro tribus his dicendi partibus, Inuentione, Dispositione, Elocutione, duas tantùm partes ponit, nempè Inuentionem & Elocutionẽ lib. 1. cap. 1. Duæ sunt, inquit, res, quibus nititur omnis tractatio Scripturæ: Modus inueniendi, quæ intelligenda sunt: & modus proferendi, quę intellecta sunt. Atq; idem lib. 4. cap. 1. In transitione repetit. Sed ille Inuentionẽ, vt apparet, multò latiùs accepit, quàm Inuẽtio Dialectica patet. Nam eo nomine, ibi cõplexus est, non solùm totam Dialecticam: sed etiam omnes alias artes Philosophiæ, & omnia pręsidia ad sacram Scripturam intelligendam necessaria. De quibus, tribus

primis

primis libris totis agit. Hac tamen distinctione sua Augustinus indicat, esse generalem aliquam dicendi & disserendi rationem: quæ etiam Scripturæ intelligendæ & tractandæ vtilis sit & necessaria.

SPECIALIS DICENDI ET concionandi ratio.

SPecialis dicendi & concionandi ratio est, quæ ad certa rerum genera & circumstantias accõmodata est. Ac proinde varia est & multiplex.

Huius generis sunt præcepta Aristotelis, ad scholasticam disserendi & docendi rationem accõmodata: Quæ in Organo extant, libris de Demõstratione duobus: Topicorum octo: Elenchorum duobus. Libri enim de Demonstratione, continent artem res omnes veras tradendi & explicandi, sicut in artibus, & tota Philosophia fieri solet. Topica autem res verisimiles tractãdi, & de ijs disserendi. Vt in Dialogis fieri solet, & in disputationibus per interrogationem, & respõsionem factis, quales sunt in Dialogis Platonis. Elenchi Sophismata: id est, captiones ex verbis & rebus ortas inueniendi, agnoscẽdi & dissoluendi rationem continent. Deinde huius generis est ad popularem dicendi rationem accommodata, vetus illa Rhetorica Ciuilis & Forensis Aristotelis, Ciceronis, Fabij & aliorum, ad veterum temporum & urbium præsertim Athenarum & Romæ consuetudinem pertinens. Qua qui vsus est Græcè ῥητὼρ & δημηγόρος, Latinè Orator dictus est. Hæc ergo maxima ex parte specialis est. In ea enim Inuentiones præcipuè speciales plures continentur.

Harum prima est, qua ars dicẽdi distribuitur in tria rerum & negociorum ciuilium genera, quę caussas vocãt,

nempè Demonſtratiuum, Deliberatiuum & Iudiciale.

Ac Demonſtratiuũ appellant, cùm certa perſona laudatur, aut vituperatur, & à meliori parte Laudatiuum & ἐγκωμιαστικὸν dictum eſt, vt ait Fabius lib.3.ca.3. Vbi idem dubitat, vnde Demonſtratiuum dictum ſit. Vtrum à Græco ſit ἐπιδεικτικὸν, an verò à Latino Demonſtrãdo, quod laudatio aut vituperatio demõſtret, qualis perſona aut res ſit. Nam ἐπιδεικτικὸν ad oſtentationem dicentis comparatũ ferè erat, & latius patebat. Orationes enim Panegyricas etiam complectebatur, quæ formam ſuadendi habebãt, & plerumq; de vtilitatibus Grçciç loquebãtur.

Hîc argumẽta laudationis erant Parentes, generis nobilitas, ingenium, artes, virtutes, actiones honeſtæ, & res præclarè geſtæ, Vituperationes contrà.

Hçc laudatio olim in funeribus vſitata fuit. Qualis laudatio extat apud Platonem in Menechzeno ſeu Epitaphio. Funebres autem laudationes, inquit Fabius lib.3. cap.7. pendent frequenter ex publico aliquo officio, & ex ſenatus conſulto, Magiſtratibus ſçpè mandantur.

Ac dignum conſideratione eſt, quod de laudationibus mortuorum à Cicerone ſcriptum eſt in Bruto, vbi de Catone agit. Nec verò, inquit, habeo quenquam antiquiorem, cuius quidem ſcripta proferenda putem, niſi quẽ Appij Ceſij oratio hçc ipſa de Pyrro, & nõnullç mortuorum laudationes fortè delectant. Ipſæ enim familiæ ſua quaſi ornamenta & monumenta ſeruabant, & ad vſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet, & ad memoriã laudum domeſticarum, & ad illuſtrandum nobilitatem ſuam. Quanquam his laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum eſt facta mendoſior, *&c.*

Poſtea verò ad hoc genus etiam relatæ ſunt rerũ deſcriptiones, vt animalium, locorum, vrbium, Regionũ,

&

& aliarum similium. Sed hoc genus proximè accedit ad generalem illam Inuentionem Dialecticam. Quę personam & rem quamq; ex suis argumentis caussæ, effectus, subiecti, adiuncti, & aliorum describit.

Secundum Genus Deliberatiuum.

Alterum genus Deliberatiuum appellatum est. Quod totum ad vtilitatem Reipublicę spectabat. Et Suasiones & Dissuasiones continebat: atq; hic cętus populi ad deliberationes publicas audiendas à magistratu conuocatus, vel sponte conueniens, cōcio dicta est Græcè Ἐκκλησία. Hebraicè *cahal*: & oratio in cœtu populi dicta concio vocata est: & locus etiam ipse, in quo concio habita est. Et inde cōcionari, & cōcionator, Græcè ἐκκλισιαστῆς. Vnde & Fabius lib. 9. cap. 4. hoc genus, concionale appellat. Et lib. 3. cap. 8. Officium concionale nominat.

Et concio quidē è loco editiori fieri solita est, vt à pluribus. Qui locus suggestum appellatus est. Cuiusmodi cùm plura Romæ fuisse constat: Inter quæ celeberrimū illud fuit, quòd Rostra appellatum est.

Hoc autem munus semper in republica augustissimū habitum est, & summis ferè in magistratu personis mandatum & concessum est. Et semper maximum in republica vsum habet. Quamuis hodie, non ita longa oratione, sed breuiter sententiæ à consiliarijs & senatoribus dici soleant.

Aristoteles Rhet. lib. 1. cap. 4. Quinq; præcipuè rerum genera fuisse scribit: De quibus deliberationes publicæ instituerentur, conciones haberentur, cōsilia darentur, & sententiæ dicerentur in concione. Cuiusmodi sunt, Primùm pecunia & vectigalia reipublicæ. Secundò Bellum & pax. Tertiùm, custodia & pręsidia Regionis. Quartò, Annona & ea, quæ importantur & exportātur. Quin-

tò, Leges ferendæ, aut abrogandæ. Deinde ad facultatẽ deliberandi de his quinq; & similibus, & suadẽdi vel dissuadendi, locos & argumenta specialia homini Politico & Oratori tradit Aristoteles lib. 1. cap. 4

Sed hoc etiam genus non procul ab inuentione generali Dialectica decedit: sed eius, quasi particula est. Vtilitas enim ex caussis, effectis, & exemplis maximè demonstratur.

Tertium Genus Iudiciale.

Tertium Genus Iudiciale erat, quod propriè ad Iudicia & actiones spectabat. In quo de iusto & iniusto disceptabatur. Et complectebatur accusationes de iniuria, & defensiones oppositas. Atq; hoc genus longè maximã partẽ Rhetoricę veteris & ciuilis occupat. Veteres enim pręcipuè Rhetoricam excogitarunt, vt prępararent adolescentes ad forum. Atq; hîc propriè & specialiter caussa dicebatur pro lite & cõtrouersia. Vnde postea per Synechdochẽ etiã ad Laudationes & Deliberationes vox accommodata est. Et partes hîc litigare & disceptare dictæ sunt. Et Orator parũ doctus, peritus aut bonus caussidicus & rabula per contemptum dictus est.

Vt autem primum Genus Demonstratiuum ex Ethica, & doctrina de virtutibus & officijs argumenta pręcipua sumit: Alterum ex Politicis & historijs, & Reipublicæ cuiusq; potentia & forma: Ita hoc ex Iure, tùm communi, tùm ciuitatis cuiusq; proprio, vt Athenarũ, Atheniensi, & Romæ Romano argumenta, & vim omnem sumit. Vnde rectè est ab Aristotele cap. 1. & 4. dictum: Hanc Rhetoricam ciuilem conflatam esse ex Dialectica, Ethica & Politica.

Hoc rursum Iudiciale Genus in tres species seu genera diductum est: quæ Græci στάσεις, Latini Status & constitutiones

ſtitutiones dixêre. Vox autem στάσις ſeu Status primùm ſummam cauſſæ cuiuſq; ſignificat, ad quam omnia argumenta referuntur. Quæ naſcitur ex intentione & depulſione. Vt ſi dicatur Deiotarus inſidias ſtruxit Cæſari, intẽtio eſt: Deiotarus non ſtruxit, Depulſio eſt: Hinc naſcitur ſtatus, An Deiotarus Cęſari inſidias ſtruxerit. Fabius caput cauſſæ indicat, quòd & quęſtio & propoſitio appellari poteſt. Hic autem ſtatus, quia plerunq; pro varijs cauſſis varius eſt: Ideo ad ſpecialia cauſſarum & controuerſiarum genera ſignificanda, accommodata eſt.

Status igitur pro cauſſæ genere à pleriſq; triplex factus eſt, Coniecturalis, Definitiuus, & Legitimus.

Coniecturalis Seu coniecturæ eſt, qua quęritur an factum ſit, quod obijcitur. Et à Fabio etiã Inficialis appellatur. Qui lib. 3. cap. 6. Longè, inquit, fortiſſima tuendi ſe ratio eſt, ſi quòd obijcitur, negari poteſt. Huius rurſum generis argumenta ſpecialia duo ſumma facta ſunt, Voluntas & Facultas. Voluntatis argumenta erant vel Impulſio affectuum ut odij & amoris, *&c.* vel ratiocinatio & ſpes commodi. Facultatis argumenta erãt cauſſæ, inſtrumẽta loci & temporis. Quæ omnia ad cauſſam efficientem ſpectant.

Definitiuus eſt, cùm non factum ipſum, ſed facti nomẽ negatur. Vnde & verbi contentio & controuerſia Ciceroni dicitur. Hîc enim de nomine facti & verbi definitione contentio erat. Sic quærebatur an factum furtum, an ſacrilegium, an homicidiũ appellandum eſſet. Et hîc admonet Fabius verba quoad fieri poteſt, in definiẽdo, ad propoſitum & voluntatem accõmodanda eſſe lib. 7. cap. 3. Et apud Græcos ὅροι & ἀνθορισμοὶ extant: id eſt, definitiones mutuo contrariæ. Hîc autem præcipuum argumentum eſt probandæ aut improbãdæ definitionis du-

plex. Nunc ex vſu & conſuetudine communi ſermonis. Secundum ex Legis pręſcripto & verbis.

Legitimus eſt, cùm nec factum, nec nomen facti negatur: ſed factum iuſtum eſſe cõtenditur. Fabius Legalem, Iuridicialem & Qualitatis, & Græcè δικαιολογικὸν: Cicero etiam Generalem appellat. Atq; hîc omnis de iure facti diſputatio eſt, an iure factum ſit nécne, vt vtrum Cæſar iure cęſus ſit. Fabius lib. 7. cap. 4. Defenſio, inquit, longè potentiſſima eſt qua ipſum factum quòd obiicitur, dicimus honeſtum eſſe.

Huius generis argumenta erant pręcipuè, Natura & Lex, ſeu Lex naturalis, & ſcripta. Quibus accedebant iudicia, pacta, & conſuetudo, quæ cauſſæ efficientis ferè rationem habent.

Vtriq; autẽ generi & Definitiuo & Legitimo, vbi aliquid vel ex Lege ſcripta, aut alio aliquo ſcripto proferretur, argumenta cõmunia erant, quibus de ſcripto diſceptabatur, nempè ſcripti ambiguitas, ſcripti & ſententiæ pugna: Legum inter ſe cõtrarietas, & ex alijs legibus, hinc inde facta ratiocinatio, de quibus vide Fabium lib. 7. cap. 6.

Hæc recta erat Defenſio. Obliqua autem erat Tranſlatio. Quòd iureconſulti exceptionem appellant: Cùm non reſpõdetur ad rem, ſed exceptio aliqua opponitur, vt nõ oportet me cauſſam dicere coram hoc Iudice, aut hoc loco, aut hoc tempore.

Defenſio autem qualiſcunq; in iudicio optima erat. Sed cùm nullus defenſioni locus eſſet, in eius locũ ſuccedebat deprecatio, quæ duobus maximè argumentis nitebatur culpæ extenuatione, & cauſſæ atq; criminis Translatione, vt feci, ſed inuitus, inſcius & imprudens, aliundè impulſus.

Sed

Sed de Statibus & ſpeciebus Generis Iudicialis, nihil eſt ab Ariſtotele traditum: Quàm autem copioſè, variè, & cōfusè ab alijs poſt Ariſtotelem ſit traditum, apparet ex Cicerone de Inuentione ſecūdo: Ex Fabio lib. 3. ca. 6. & Hermogeneo de Diuiſione.

Secunda Inuentio.

Secūda Inuentio Specialis eſt in partibus orationis. Quæ præcipuè ad Genus Iudiciale referuntur, & ſex ferè numerantur, Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, Epilogus. Etſi enim in his partibus, diſputationis Logicæ Generalis Idæa quædam eſt: tamē hîc pro ſingulis ferè partibus ſingulæ Inuentiones, & argumenta ſpecialia traduntur. Vt exempli cauſſa: In Exordio loci tres tradūtur, Beneuolentię, Attentionis & Docilitatis: & horum rurſum ſingulorum. Loci alij, vt à re & perſona dicentis & audientis: In Narratione breuitas & perſpicuitas: In Epilogo repetitio & affectus, & ſic de alijs. De his autem partibus, & earum argumētis ſcripſit Ariſtoteles Rhetor. lib. 3. cap. 16. Cicero de Oratore lib. 2. num. 137. Fabius lib. 4. 5. & 6.

Tertia Inuentio.

Tertia Inuentio eſt motus & delectationis. Quæ præcipuè ad Epilogum Orationis Iudicialis accōmodatur. Volunt enim Oratoris officium eſſe, non ſolùm docere iudicem: ſed etiam mouere & delectare. Cùm autem docendi ratio præceptis iam expoſitis contineatur, Specialia præcepta de affectibus mouendis, & riſu concitando iudici ſuperioribus addiderunt. Ac de affectibus mouendis Ariſtoteles copioſè lib. 2. cap. 2. & deinceps agit: Ac ad ſingulos affectus mouendos, tres locos tradit, nempè: Quis, erga quē & quam ob rem. Affectu aliquo facilè moueatur, vt exempli cauſſa: Quis, cui, quare facilè

lè irascatur. Cicero de Oratore lib. 2. primùm de motu & affectibus num. 124. Deinde de delectatione, risu, & iocis varijs num. 128. Fabius lib. 6. de mouendi ratione cap. 2. de risu cap. 3.

Generalis Inuentio Specialibus mixta.

Huius autem ciuilis & specialis Rhetoricæ magistri, cùm viderent maiorem vim, in Generali Inuentione esse, temperare sibi nō potuerunt, quin his specialibus generalem admiscerent. Eamq; proinde confirmationi generis Iudicialis ferè admiscuerunt, & exemplis caussarū forensium illustrârunt: Aristoteles Rhet. lib. 1. cap. 21. Et deinceps ad finem libri. Cicero de Oratore lib. 2. num. 123. Fabius lib. 5. ca. 10. Cicero quidem eo loco speciales illas Inuentiones aculas seclusas: Generalem autem illam, flumen appellat.

Hæc ergo dicendi ratio, Specialis, Ciuilis & Politica est: In qua quid concionatori sacro vtile sit, suo loco infrà dicendū est. Fabius lib. 2. cap. 13. de ea sic scribit: Non rogationibus plebisúe scitis sancita sunt ista. Sed hoc quicquid est, vtilitas excogitauit. Quare mihi semper moris fuit, quàm minimum me alligare ad præcepta.

RHETORICA SPECIALIS Epistolaris.

Ex hac deinde Rhetorica ciuili deducta est Rhetorica quędam Epistolaris: quæ eius quasi appendix est. In qua rursum præcepta Generalia ad certa rerum & Epistolarum genera & formulas accommodata sunt. Cuiusmodi sunt, opus Erasmi de conscribendis Epistolis, & Ludouici Viuis, & Conradi Celtis Methodus, & Christophori Hegendorphini epithome.

Ac Erasmiani quidem operis, vt id breuiter & obiter indicem,

indicem, etsi ordo minus perspicuus est, tamen summa ad duo capita reuocari potest. Primùm enim cōmunia quædam præcepta Inuentionis, Dispositionis, & Elocutionis repetit, & epistolis accommodat, ac priuatim de appendicibus duabus epistolarum salutatione & valedictione, earumq; varijs formulis generaliter agit. Deindè epistolas quasi caussas in genera partitur. Et simplices in tria genera distribuit more Rhetorū, nempè Encomiasticon, Suasorium & Iudiciale, quibus ipse vnum genus addit, quod vocat familiare & extraordinarium.

Encomiastico deindè subijcit descriptiones personarum, Regionum, prædiorum, arcium, fontium, mōtium, hortorum, monstrorum, temporum, itinerum, cōuiuiorum, ædificiorum, pomparum. Sed id genus obiter tantùm attingit, idq; inter Suasorium & Iudiciale.

Suasorio subijcit exhortationem, suasionem, consolationem, petitionem, commendationem, admonitionem, & epistolam amatoriam.

Iudiciali subijcit criminationem, expostulationē, purgationem, exprobrationem, inuectiuam, deprecationē.

Familiari & extraordinario subijcit nunciationē, mandatum, collaudationem, gratiarum actionem, lamentationem, gratulationem, consiliatoriam, officiosam, disputatoriā & iocosam epistolam, quam tamen ante cōsiliatoriam ponit. Atq; hæc sunt genera simplicium epistolarū. Ex quibus mixtę epistolæ fiunt, quæ plurimùm sunt vsitatæ, & postremo loco collocandæ fuerant.

RHETORICA ECCLESIASTICA.

TErtia Rhetorica specialis, & Ecclesiastica, quæ tradit rationem in Ecclesia Christiana concionandi. Ad

quē vsum Solomon olim in templi sui atrio medio suggestum æneum conchæ instar collocauit. 2. Chron. 6. vers. 13.

Atq; huc spectant libri de Concionandi ratione. Vt quartus Augustini de doctrina Christiana. Et Erasmi Rhoterodami Ecclesiastes, seu de concionandi ratione, in quibus Fabiū pręcipuè secutus, copiosè de ea re egit Tomo quinto operum, & alij similes libri.

Hæc autem rursum duplex esse potest, Communis & Propria.

Communis.

Communis est, quæ cōmunia pręcepta & officia cum Rhetorica ciuili habet. Et multū ex genere Demonstratiuo & Deliberatiuo sumit: Ex Iudiciali minimum. Communis ergo est ratio populariter dicendi.

CAVTE POPVLARITER dicendum est.

HIc ergo primùm tenendum est pręceptum & consilium Antonij apud Ciceronem de Oratore lib. 2. num. 136. Operam videlicet dandam esse, populariter dicenti, non tantùm vt benè dicatur: sed etiam, ne quid malè dicatur. Homines enim imperiti faciliùs quod stultè dixeris, reprehendere, quàm quòd sapienter tacueris, laudare possunt.

Officium populariter dicentis generale & præcipuum est docere.

Deindè sciendum est pręcipuum Officium esse, & Generale populariter dicentis, docere. Nam quod addunt motum & delectationem, ea accessoria sunt. Et mouere ad persuadendum speciale officium est dicentis. Delectatio autem partim Generalis, partim Specialis est.

Delectatio

Delectatio Generalis cum docendo semper coniuncta.

Ac delectatio quidem Generalis perpetuò cum omni recta docēdi & dicendi ratione cōiuncta est. Ita enim comparatum est, vt quicquid vtile sit, idem etiam venustum & iucundum sit, & sensus atq; animos hominū delectet. De qua re locus est apud Ciceronem dignus qui hîc recitetur & consideretur, qui extat de Oratore lib. 3. num. 159.

Vt, inquit, in plerisq; rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata: Sic in oratione, vt ea quæ maximā vtilitatem in se continerent, eadem haberēt plurimùm vel dignitatis, vel sępè etiam venustatis.

Incolumitatis & salutis omnium caussa videmus nūc statum esse huius totius mundi, atq; naturæ rotundū vt cœlum, terraq; vt media sit, eaq; sua vi nutuq; teneatur. Sol vt circumferatur, vt accedat ad brumale signum, & inde sensim ascendat in diuersam partem. Vt Luna accessu & recessu suo Solis lumen accipiat. Vt eadem spacia quinq; stellæ dispares suo motu cursuq; conficiant. Hæc tantam habent vim, vt paulum immutata cohærere non possint, tantam pulchritudinem, vt nulla species, ne excogitari quidem possit ornatior.

Referte nūc animum ad hominum, vel etiam cæterarum animātium formam & figuram. Nullam partē corporis sine aliqua necessitate effictam, totamq; formam quasi perfectam reperietis arte non casu.

Quid in arboribus? In quibus non truncus, non rami, non folia sunt: deniq;, nisi ad suam retinendam, conseruandamq; naturam, nusquam tamē est vlla pars, nisi venusta. Linquamus naturam, artesq; videamus.

Quid tàm in nauigio necessarium quàm latera, carinæ,

næ, prora, puppis, antennæ, vela, mali, & reliqua? quæ tamen hanc habent in specie venustatem, vt non solùm salutis: sed etiam voluptatis caussa inuenta esse videantur.

Columnæ & templa & porticus sustinent: tamen habent non plus vtilitatis, quàm dignitatis.

Capitolij fastigium illud, & cæterarum ædium nō venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nā cùm esset habita ratio, quemadmodū ex vtraq; parte tecti aqua delaberetur, vtilitatem templi, fastigij dignitas consequuta est. Vt etiamsi in cœlo capitolium statueretur, vbi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum esse videatur.

Hoc in omnibus itē partibus orationis euenit, vt vtilitatem ac prope necessitatem suauitas quædā & Lepos consequatur. Hæc Cicero.

Augustinus lib. 4. cap. 12. de doctrina Christiana: Sed neq;, inquit, delectare necessitatis est. Quandoquidem cùm docendo vera monstrantur, quod ad officium docendi pertinet, non eloquio agitur, neq; hoc attenditur, vt vel ipsa, vel ipsum delectum eloquium, sed per se ipsa quoniā vera sunt, manifestata delectant. Vnde plerunq; delectant etiam falsa patefacta atq; conuicta. Neq; enim delectāt, quia falsa sunt, sed quia falsa esse verum est. Delectat & dictio, qua hoc verum esse monstratum est. Hæc Augustinus.

Generalis ergo delectandi ratio, quæ dicendo fit, nihil à docēdi ratione differt. Et quasi sanguis quidam est per totum orationis corpus æqualiter fusus. Qui corpus orationis pulchrum & venustum efficit, & animum auditoris suauiter afficit. Vnde & Tacitus de Oratoribus: Oratio, inquit, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua tēperatus & bonus sanguis membra implet, *&c.*

Neq;

Neq; verò docti tantùm: sed etiam indocti quales in populo pleriq; sunt, recta docendi dicēdiq; ratione delectātur. Cicero eodem loco num. 161. Illud autem, inquit, ne quis admiretur, quo nam modo hæc vulgus Imperitorum in audiendo notet: cùm in omni genere, tùm in hoc ipso, magna quędam est vis incredibilisq; naturę. Omnes enim tacito quodam sensu, sine vlla arte aut ratione, quæ sunt in artibus & rationibus recta & praua, dijudicant. Idq; faciunt in picturis, in signis, & alijs operibus. Quotus quisq; est, qui teneat artem numerorum ac modorū? At in his, si paulùm modò offensum est, vt aut contractione breuiùs fieret, aut productione longiùs: Theatra tota reclament. Mirabile est, cùm plurimùm in faciendo intersit inter doctum & rudem, quàm nō multùm differat in iudicando. Ars enim, cùm à natura profecta sit, nisi naturam moueat atq; delectet, nihil sanè egisse videatur. Hæc Cicero. Quare etiā apud indoctos, quales pleriq; in populo sunt delectandi ratio cum dicendi ratione coniuncta est.

Delectatio Specialis est, quæ iocis, facetijs & lepidè dictis auditorē delectat, interdum etiam risum mouet. Vnde γελοῖα: id est, ridicula Græcis dicuntur. Horum autem Inuentio Specialis apud Rhetores traditur. De qua præcipuè Cicero de Oratore lib. 2. nu. 128. & deinceps in persona Cæsaris agit: & Fabius lib. 6. cap. 3. de risu, ad Epilogum Orationis Iudicialis.

Sed hæc tota specialis delectatio etiā prophani Oratoris ne dū sacri, grauitate indigna videtur. Quam ideo Demosthenes ferè vt orationes eius indicant, aspernatus est. Cicero autem cùm nimiū amplexus esset, à multis est reprehensus, & in multorum odium incurrit. Vnde Fabius loco modò citato: Pleriq;, inquit, Demosthe-

ni facultatem huius rei defuisse credunt: Ciceroni modum, qui nimius habitus est in ipsis orationibus risus affectator. Et Cicero ipse, qui de hac re in persona Cæsaris præcepta tradit: Leue, inquit, est totum hoc risum mouere.

Erasmus de cōcionandi ratione lib. 2. statim initiò sic scribit: An hoc genus Delectandi conueniat Ecclesiastæ nostro, viderint alij. In literis sacris nullū tale extat exemplum, nisi velimus ironiam inter iocos referre.

Tale autem genus iocandi est, quo Cyprianus vtitur in Idololatras, cæteriq; qui gentium vanitatem explosérunt, vt Tertullianus, Lactantius, Prudentius & Augustinus. Sunt enim quæ meliùs refutantur irridendo, quàm argumētando. Plus etiam sibi permittit D. Hieronymus in hæreticos. Sed non in hos tantùm, hac in parte similior Tertulliano, quàm vellem. Neq; verò obscurum est, veteres Ecclesiastes, multùm in hoc incubuisse, vt delectarent populum.

Quæruntur Prophani Rhetores, præsertim Fabius & Tacitus, ita fuisse corruptos olim hominum mores, vt iudices ab Oratore requirerent delectationem, non contenti didicisse, quę ad caussam pertinebant. Quod ni fieret, interpretabantur se contemni, nō sine periculo caussæ. Ad hæc multitudo tùm erat assueta theatricis fabulis ac Mimis. Quæ omnia voluptatis caussa gerebantur. Ibi populus spectator sibilis, supplosionibus, pollicibus, applausibus & acclamationibus iudicem agebat,

Huius moris magna vestigia diu resederūt apud Christianos, vt Episcopi multa cogerentur dare auribus multitudinis. Notati tamen sunt, qui cōfictis fabulis, aut ineptis iocis, excitarēt imperitæ multitudinis applausum. Nunc autem cùm theatrici mores è templis eiecti sint: tamen

tamen non desunt,qui nimiùm frequẽter, ne dicam impudẽter imitantur fabulam,quæ iactatur de Demosthene, qui iudices dormitantes in caussa capitali excitauit, ex transuerso inducto ioco de vmbra asini. Nec ridicula tantùm adferunt, sed interdũ inepta, parumq; verecunda,nec habita ratione eorum, apud quos loquũtur, nec sui,nec loci, nec argumenti. Hæc Erasmus, qui ineptarũ etiam narrationum exempla ponit,pagina 718.legẽda.

Hæc ergo delectandi ratio prorsus,vt dixi, sacri Oratoris & Concionatoris grauitate indigna est, his præsertim temporibus,& in primis apud gentẽ nostram.Cuius quæ sit grauitas vir longè grauissimus ipse, & grauissimi iudicij Philippus Melanchthon testatus est lib. epistolarũ 2.pag.117. ad Doctorẽ Erhardum Snephiũ: Rex, inquit, Danicus petiuit mitti in Academiam Hafniensem Lectorem Theologicum,qui Germanicè cõcionari posset. Dabit Deus tibi iam canescenti honestum Hospitiũ in his gentibus. Quarum grauitatem ego ipse moribus patriæ meæ antefero.Hæc Philippus.Ergo prçcipuũ populariter dicentis officium est docere.

Quid sit populariter dicere.

Est autem populariter dicere, ad populi sensum & captum accommodatè dicere:seu generale dicendi & disserendi artificium, ad populi captum accommodare. Atque hîc Doctoris scholastici, & Oratoris diuortium quoddam est.

Cicero de Oratore lib.1.nu.94. Sunt, inquit, varia,& ad vulgarem popularemq; sensum accõmodata omnia genera huius forensis nostræ dictionis.

Et lib.2.num.123.Hæc,inquit,nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda ad oblectandos animos,

mos, ad impellendos, ad ea probanda, quæ non aurificis statera: sed quadam populari trutina examinantur.

Et Fabius lib. 12. cap. 10. Quòd si, inquit, mihi des cõcilium iudicum sapientum, perquam multa rescindam ex orationibus, non Ciceronis modò: sed etiã eius, qui est strictior multò, Demosthenis. Neque enim affectus omninò mouẽdi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cùm etiã Procemia superuacua esse, apud tales, Aristoteles existimet. Non enim trahentur his illi sapientes. Propriè & significanter rem indicare, probatione colligere, satis est. Cùm verò Iudex detur aut populus, aut ex populo, laturiq; sententiam indocti sępiùs, atq; interim rustici, omnia quæ ad obtinendũ, quod intẽdimus, prodesse credimus, adhibenda sunt. Hæc Fabius.

Cùm igitur populus plerunq; ex rudibus & indoctis constet, qui nec subtilia intelligunt, nec subtilitate delectantur, apud populum rudiùs & crassiùs semper dicendum est: & vt in Prouerbijs est crassiori & pinguiori Minerua: Et indoctiùs atq; rudiùs, sed apertiùs & planiùs. Et vt Aristoteles Ethic. 1. ait: Non nimis accuratè & subtiliter, sed τύπῳ: id est, formula pinguiori, & crassiùs.

Dictio ergo popularis in vsu crassiori, Dialecticæ pręsertim consistit. Quò ars ipsa semper quidem adhibetur, sed dissimulatur & occultatur. De qua re diligenter Rhetores præcipiunt.

Fabius lib. 4. cap. 2: Effugiẽda est omnis calliditatis suspicio. Nihil videatur fictum, nihil solicitum. Omnia potiùs à caussa, quàm ab Oratore profecta credantur. Sed hoc pati non possumus. Et perire artem putamus, nisi appareat. Cùm desinat ars esse, si appareat. Et lib. 12. cap. 9. Veteribus, inquit, ergo dissimulare eloquẽtiam fuit moris. Idq; Marcus Antonius pręcipit, quò plus dicentibus

fidei,

fidei,minusq; suspectæ aduocatorũ insidiæ forent. Sed illa dissimulari,quę tùm erat, potuit. Nondum enim tãtum dicendi lumẽ accesserat,vt etiã per obstantia erumperet. Quare artes quidẽ & consilia lateant,& quicquid, si deprehenditur, perit. Hactenus eloquentia secretum habet.

Et eodẽ lib.cap. 2. Philosophia, inquit, cùm sit in tres diuisa partes. Naturalẽ,Moralem,Rationalem: Quę tandem non est cum Oratoris opere coniuncta? Nam vt ordinem retrò agamus,de vltima illa, quæ tota versatur in verbis, nemo dubitauerit: si & proprietates vocis cuiusq; nosse, & ambigua aperire, & perplexa discernere, & de falsis iudicare, & colligere & resoluere quæ velis, Oratoris est. Quanquã ea nõ tàm est minutè atq; cõcisè in actionibus vtendũ,quàm in disputationibus. Quia non docere modò, sed etiã mouere ac delectare auditores debet Orator. Ad quod impetu quoq; & viribus ac decore opus est, vt vis amnium maior est altis ripis, multoq; gurgitis tractu fluentium,quàm tenuis aquæ,& obiectu lapillorum resultantis. Et palestrici doctores, illos quos vocant numeros, non idcirco discentibus tradunt, vt his omnibus ij, qui didicerint, in ipso Luctandi certamine vtantur: Plus enim pondere & firmitate & spiritu agitur: Sed vt subsit copia illa, ex qua vnum aut alterũ cuius se occasio dederit,efficiant: Ita & hæc pars Dialectica,vt est vtilis sępè finitionibus & comprehensionibus,& separandis quæ sunt differentia, & resoluẽda ambiguitate,& distinguendo & diuidendo: Ita si totum sibi vendicauerit in foro certamen, obstabit melioribus, & sectas ad tenuitatem vires suas ipsa subtilitate cõsumet. Itaq; reperias quosdam in disputãdo mirè callidos, cùm ab illa cauillatione decesserint, nõ magis sufficere in ali-

quo grauiore actu, quàm parua quædam animalia, quæ in angustijs mobilia, campo depręduntur. Hæc Fabius.

Quare hîc etiam illud Ouidij locum habet:

Si latet ars, prodest: affert deprensa pudorem,
Atq; adimit meritò tempus in omne fidem.

Priscianus de metris Comicis ex Aticionio sic scribit: Comici Poëtæ laxiùs in versibus suis, quàm Tragici spatium dederunt: & illa quoq; loca, quæ Iambo debebantur, dactilicis occupant pedibus, dum quotidianum sermonem imitari voluerunt, & à versificationis obseruatione, spectatorem ad actum rei conuertere. Hæc ille. Quòd igitur Comici Poëtæ apud populum dicturo faciendum est, vt artē ipsam dissimulet, eaq; rudiùs & crassiùs vtatur.

DE ARGVMENTIS QVIbusdam.

ATq; hæc in genere de ratione populariter dicendi sunt. Nunc specialiùs de quibusdam artis partibus dicēdum est, vt res rectiùs intelligatur: ac primùm de Inuentione & Argumentis quibusdam.

In primis igitur in definiēdo & Diuidendo nimia subtilitas apud populum vitanda est.

DE DEFINITIONE.

DE Definitionum subtilitate apud populum vitanda præcipit Cicero de Oratore lib. 2. num. 115. litera B, in persona Antonij his verbis: Iam quid vocetur, quæritur, cum quo verbo quid appellandum sit, contenditur. Vt mihi ipsi cum hoc Sulpitio fuit in Norbam caussa, summa contentio. Pleraq; enim de ijs, quæ ab isto obijciebantur, cùm cōfiterer, tamē ab illo maie-

ſtatem imminutā negabam: Ex quo verbo lege Apulia, tota illa cauſſa pendebat.

Atq; in hoc genere cauſſarum nonnulli pręcipiunt, vt verbū illud, quod cauſſam facit, lucidè & breuiter vterq; definiat. Quod mihi quidem perquàm puerile videri ſolet. Alia eſt enim, cùm inter doctos homines, de iјs ipſis rebus, quę verſantur in artibus, diſputatur, verborū definitio. Vt cùm quæritur, quid ſit ars, quid ſit lex, quid ſit ciuitas. In quibus hoc præcipit ratio atque doctrina, vt vis eius rei, quā definias, ſic exprimatur, vt neq; abſit quicquam, neq; ſuperſit. Quòd quidem in illa cauſſa, neque Sulpitius fecit, neq; ego facere conatus ſum. Nam quātum vterq; noſtrûm potuit omni copia dicēdi dilatauit, quid eſſet maieſtatem minuere. Etenim Definitio primùm reprehenſo verbo vno, aut addito, aut dempto, ſępè extorquetur è manibus. Deinde genere ipſo doctrinam redolet, exercitationemq; penè puerilem. Tùm & in ſenſum & in mentem Iudicis intrare non poteſt. Antè enim præterlabitur, quàm præcepta eſt. Hæc Cicero eo loco.

Idem in Oratore ad Brutum nu. 207. litera B. Et quoniam, inquit, in omnibus, quæ ratione docentur & via, primùm cōſtituendum eſt, quid, quicq; ſit. Niſi enim inter eos, qui diſceptant, cōuenit, quid ſit illud, de quo ambigitur, nec rectè diſſeri, nec vnquam ad exitum peruenniri poteſt, explicanda eſt ſæpè verbis mens noſtra, de quaq; re, atq; inuolutę rei noticia definiendo aperienda eſt. Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus eſſe eloquentem, vt definire rem poſſit. Neq; id faciat tā preſsè & anguſtè, quā in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet: ſed cùm explanatiùs, tùm etiam vberiùs, & ad cōmune iudiciū, popularemq; intelligētiā accōmodatiùs. Hæc Cicero.

In eandem ſententiam Fabius lib. 7. cap. 3. ſic ſcribit: Opus eſt aliquando finitione obſcurioribus & ignotioribus verbis. Vt quid ſit clarigatio. Erit & interim notis verbis, vt quid ſit penus, quid littus. Quibuſdam ne placuit quidem omninò ſubtilis hæc, & ad morẽ Dialecticorum formata conclusio, vt in diſputationibus potiùs per argumenta verborum cauillatrix, quàm in Oratoris officio multum allatura momenti. Licet enim valeat in ſermone tantùm, vt cùm ſtrictum in vinculis ſuis habeat eum, qui reſpõſurus eſt, & vel tacere, vel etiam inuitum id quod ſit, contra cogat fateri: non tamen eadẽ eſt eius in cauſſis vtilitas. Perſuadendum enim Iudici eſt, qui etiamſi verbis deuinctus eſt: tamẽ niſi ipſi rei acceſſerit, tacitè diſſentiet.

Agenti verò quæ tanta eſt, huius præcisę comprehenſionis neceſſitas? an ſi non dixero: Homo eſt animal rationale mortale, non potero expoſitis tot corporis, animiq́; proprietatibus latiùs oratione ducta, vel à Dijs, vel à mutis, diſcernere? Quid quod nec vno modo finitur res eadem, ſed latiore, varioq́; tractatu, vt facit Cicero, vt omnes Oratores plerunq; fecerũt. Rariſſima enim apud illos reperitur illa ex conſuetudine Philoſophorũ ducta ſeruitus (eſt enim certè ſeruitus) ad certa ſe verba obſtringendi. Idq́; faciendum in libris Ciceronis vetat Marcus Antonius. Optima eſt illa media via, qua vtitur Cicero pro Cecinna, vt res proponatur, verba ne periclitentur.

Non negauerim tamen hæc quoque, vt expedit cauſſæ, eſſe facienda. Et ſi quando firma comprendi poterit, & breui complexu verborũ finitio, eſſe id tùm elegans, tùm etiam firmiſſimum, ſi modò erit illa inexpugnabilis. Hæc ille.

DE DIVISIONE.

IN Diuidendo, tùm in ſchola, tùm ad populum in primis nimia ſubtilitas vitanda eſt.

Seneca epiſtola 90. Quicquid, inquit, in maius creuit, faciliùs agnoſcitur, ſi deceſſerit in partes. Quas, vt dixi, innumerabiles eſſe & paruas nō oportet. Idem enim vitium habet nimia, quod nulla diuiſio. Simile enim cōfuſo eſt, quicquid vſq; in puluerem ſectum eſt.

Quintilianus lib. 4. cap. 5. Vt nō ſemper, inquit, neceſſaria, aut etiā ſuperuacua partitio eſt: ita opportunè adhibita, plurimum orationi lucis & gratiæ confert. Nec immeritò multum ex diligentia partiendi tulit laudis, Quintus Hortenſius. Cuius tamē diuiſionem in digitos diductam nonnunquam Cicero leuiter eludit. Nam eſt certus eius modus. Et euitanda maximè conciſa nimiū & velut articuloſa partitio. Nam & autoritati plurimùm detrahunt multa illa nō membra, ſed fruſta. Et huius gloriæ cupidi, quò ſubtiliùs & copioſiùs diuiſiſſe videantur, & ſuperuacua aſſumunt, & quæ natura ſingularia ſunt, ſecant: nec tàm plura faciunt, quàm minora. Deindè cū fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obſcuritatem, cōtra quam diuiſio inuenta eſt. Et paulò antè, nō ſolùm Oratoris eſt docere: ſed plus eloquētia circa mouendum valet. Cui rei contraria eſt maximè tenuis illa & ſcrupuloſè in partes ſectæ diuiſionis diligentia. Hæc Fabius.

Eraſmus de Concionandi ratione lib. 2. pag. 729. Cauenda, inquit, maximè eſt conciſa diuiſio, quæ cauſſam in articulos & in fruſta ſecet potiùs, quàm in mēbra. Vitanda enim ſemper eſt, quantum fieri poteſt, partiū turba. Nam ea caliginem offundit cauſſę, etiam non obſcu-

ræ natura. Officit docilitati & memoriæ auditorum. Absurda verò partitio eſt, quæ hoc ipſum incõmodum affert, augetq;, cui tollendo aut leniendo adhibetur. Hæc Eraſmus. Vide Prouerbium etiã in Chiliadibus: Tenuiter diducis.

DE DISPOSITIONE PRImùm Syllogiſmi.

IN Diſpoſitione Syllogiſmi & Methodi perpetua ferè artis crypſis & occultatio eſſe debet. Nã quod ad Syllogiſmum attinet: Etſi iuſta Syllogiſmi forma interdũ in oratione populari occurrit, & locum habere poteſt: tamen id rariùs eſt, & crypſis Syllogiſmi crebrior multò eſt, & eſſe debet. Crebriora ſunt Enthymemata, pro Syllogiſmi inuerſo ordine propoſitionũ & terminorũ, aut pro Syllogiſmis ſingulæ tantùm & nudæ propoſitiones atq; ſententiæ.

Hinc Ariſtoteles Topic. 8. Syllogiſmo, inquit, apud Dialecticos in differendo, vtendũ potiùs eſt, quàm apud multitudinem: Inductione contrà apud multitudinem. Illa enim hac magis mouetur. Et in Rhetoricis lib. 1. cap. 2. Et alibi Syllogiſmum Rhetoricũ vocat Enthymema. Quod ſæpiùs, inquit, ex paucioribus enunciatis, quàm Syllogiſmus conſtat. Nam ſi quid notum eſt, id pronunciare non eſt opus. Ipſe enim auditor id addit.

Et lib. 2. cap. 21. Enthymema, inquit, eſt Syllogiſmus Rhetoricus, qui non procul ſumit principiũ, nec omnia comprehendit, quibus aliquid probetur. Alterum enim est obſcurum propter prolixitatem. Alterum nugatorium, quòd ea dicantur, quæ iam antè nota ſint. Atq; hæc cauſſa eſt, quamobrem homines imperiti & indocti in vulgus ferè magis probentur, quàm docti & literati. Vt

etiam Poëtę conqueruntur indoctos apud turbam melius canere. Docti enim cōmunia & vniuersalia afferunt: Indocti ea solùm, quæ sciunt, & quæ ob oculos versantur, & caussæ atq; rei propositæ sunt propria & proxima. Hæc Aristoteles.

Atq; huc spectare vidētur verba illa Antonij apud Ciceronem num. 124. Tractatio rerum varia esse debet, ne aut cognoscat artem qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet quid afferas, & id quare ita sit ostendere: & ex ijsdem locis illis interdum concludere, relinquere aliàs, alioq; transire, sæpè nō proponere, ab ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit declarare. Si cui quid simile dicas, prius vt simile confirmes: Deindè quod agitur, adiungas. Cuncta argumentorum plerunq; vt occultas, ne quis ea numerare possit, vt re distinguantur, verbis confusa esse videantur. Hæc ille.

DE OCCVLTATIONE Methodi.

METHODUS etiā in Oratione populari, vt reipsa perpetuò ferè adhibetur: Ita verbis ferè occultatur. Quare primùm promissio vel vnius, vel pluriū capitum expressa non semper est necessaria. Vnde & veterū conciones pleręq; ea carent, vt est videre in Homilijs Gręcorum & Expositionibus & Tractatibus Augustini.

Deindè post primam promissionem, si ea adsit, nihil deinceps promittendum est, nisi fortè in Transitionibus & vinculis præcipuorū membrorum. Vnde & Epicthetus, qui Rhetores nimiùm artem crebris Propositionibus & Promissionibus eorum, quæ dicenda essent, ostētabant, hoc modo ridebat: In cōuiuio, inquit, edis & bibis,

bis,non ais,sic edo,sic bibo, aut nunc edam,nunc bibam. Vtere ergo Rhetorica, si opus est: Rhetoricam ne ostentato.

Præterea, quia Diuisio & Distributio Methodi fons & origo est,quæ suprà de Diuisione dicta sunt,hîc etiam locum habent. Quare neq; prima orationis partitio si qua sit,nimis multas partes complecti debet. Neq; post primam diuisionem,subdiuisiones vllæ apertè faciendæ sunt,aut partium partes,vt in artibus fieri solet,faciendę aut proponēdæ sunt.Ita enim oratio popularis doctrinā & scholā redoleret,& minus populo conueniret, & memoriæ tùm dicentis,tùm audientium officeret.Res autē ipsæ & partes & sentētiæ diuersæ, in membris orationis singulis,mente & animo distinguendæ sunt potiùs, quā apertis distinctionibus, & distinctionū promissionibus. Quibus omissis, res interim ordine recitari, & distingui & coniungi verbis possunt. Quò spectant connectandi voces & formulæ. Cuiusmodi sunt coniunctiones cùm aliæ,tùm copulatiuæ. Item Aduerbia ordinis,vt deindè, deinceps,porrò, porrò autem, præterea,cæterū,ad hęc. Item adde his,accedit his,accedit ad hęc,huc accedit,illud non prætereundū est, & similes, de quibus Erasmus de copia lib. 1.cap. 52. Atq; huc spectant etiam formulæ quædam Transitionum, de quibus capite proximo 53. agit.Atq; his vocibus & formulis similes varię sunt in linguis popularibus ad hunc vsum obseruandæ.

Erasmus de Concionandi ratione lib. 2.pag. 729.Promissio,inquit,certarum partium vt plurimum habet vtilitatis:ita nonnihil habet incommodi.Magnoperè conducit ad docilitatem ac memoriam auditorū: & hactenus prodest dicenti, quòd habet certos gradus, in quos se recipiat à digressionibus. Cæterùm in hoc potest officere,

cere, quod interdum quædam inter dicendum, veniunt in mentem, quæ nec expedit prætermittere, nec alicui promissarum partium congruunt. Ita fit, vt aut cum argumenti iactura sint omittenda, aut duriùs & violentiùs in locum aliquem insulcienda. Ne commemorem, quosdā tam parùm fœlici memoria: vt quod de Curione, ni fallor scribit & Marcus Tullius, tribus partibus promissis, aut vnam è tribus obliuione prætermittāt, aut quartam addāt. Proindè qui diffidūt memoriæ, ijs tutiùs est summam tantùm argumenti proponere, aut certè capita sermonis in charta notata habere ad manum. Quod in Psalmos aliquot fecisse videtur Augustinus: & haud scio an in omnes. Habet enim ille crebras ac longinquas digressiones, pleraq; loquens ex tempore, quanquam vir memoria ad prodigium vsq; fœlici. Semper quidem dicturo aliquis ordo præparandus est. Non tamen protinus necesse est, vt quod animo concepit, polliceatur. Cogitatio facilè corrigi potest: pollicitatio non perindè libera est. Itaq; in materia, quæ nec ex sese præbet partitionis occasionem, nec caussam habet adiunctam, quæ postulet diuisionem: affectare in diuidendo subtilitatem non tantùm inutili labore torquet Ecclesiasten, verumetiam fidem dicentis & gratiam orationis attenuat. Libentiùs enim illis credimus, quibus pectus potiùs, quàm ars suggerit dictionis copiā. Et gratiora sunt, quæ velut ex tempore nata, nouitate commendantur, quàm promissa, & exspectata.

Quod si autem tractandum est argumentū obscurius aut perturbatius, ibi multum lucis adfert commoda, & recta partitio, nec parùm iuuabit auditorum docilitatē, videlicet rerum capitibus velut è turba extractis, & sub oculos positis. Item si materiæ ratio partes habet di-

stinctas: & si nihil sit caussæ cur vitanda sit partitio.

Cauenda autem semper est concisa diuisio, quæ rem & argumentum in articulos, & in frusta secet potiùs quã in membra. Cuiusmodi sunt sectiones Nicolai Lyrensis, Thomæ in enarrandis scripturis Canonicis, & Iohannis Gersonis in suis lucubrationibus. Qui subtilitatis affectatione nonnunquam dissecant in multa, quæ sunt singularia, aut certè sic cohęrẽtia, vt ęgrè dirimantur. Quẽ morem pleriq; obtinent scholastici. Proponunt turbam Propositionum. Ex his declaratis eliciunt conclusiones. Tandem sic quoq;, re magis inuoluta, quàm explicata, eliciunt sententias. Hoc Diuidendi genus suggesto non conuenit, vbi opera danda est, vt absit omnis subtilitatis ostentatio, & res ipsa, quantũ fieri potest dilucidè & expeditè proponatur multitudini. Hæc Erasmus.

DE RELIQVA METHODI CRYPSI, & primùm de Repetitionis & Amplificationis modo.

HActenus partium quarundam artis Dialecticæ occultatio fuit. Quod autẽ ad reliquam Methodi occultationem, quæ in Ellypsi, Pleonasmo & Enallage consistit, attinet: In Oratione populari, quæ simpliciter vera & vtilia docere & suadere conatur, Ellypsis & Enallage minimè locum habere debent: Pleonasmi autẽ & Redundantiæ modus certus esse debet. Primùm ergo Repetitio & Amplificatio moderata esse debet. Si enim illa nimia & Hyperbolica sit, puerilis est & frigida. Vnde Aristoteles Rhet. 3. ca. 14. Habent, inquit, superlationes puerile quiddam. Vehementem enim animi motum indicant. Itaque irati præcipuè superlationibus vtuntur. Quòd enim ille de superlationibus ait: Id etiam de nimia

mia Amplificatione verum eſt.

Deindè Amplificatio tēpeſtiuè adhibēda eſt. Si enim omnia promiſcuè ſine diſcrimine amplificentur, oratio ſimilis fit corpori Hydropico & aqua intercute vndique tumenti & turgēti. Amplificatio ergo & exaggeratio primùm in oratione media, & deinceps maximè ſub finem orationis commodè adhibetur, cùm opus eſt, & præcipuum orationis caput tractatur, quòd animis auditorū, qui iam incalluêre, inculcandum eſt. Hîc enim vt in rei cogitatione & conſideratione auditores diutiùs detineantur, repetitionibus & Amplificationibus locus eſt, ſi res poſtulat. Debet enim oratio ſimilis eſſe Sileno: id eſt initio & prima fronte rudis, ſimplex, modeſta, verecunda, quæ eloquentiam non oſtentet: Sed paulatim in progreſſu ſub finem maximè vim ſuam exerat atq; explicet: & vt Horatius ait:

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem.

In primis autem vitanda eſt Amplificatio, quæ fit luxurie & inani verborum turba. Quæ non tantùm odioſa & moleſta eſt auditoribus: ſed res etiam obſcurat.

Quintilianus lib. 6. cap. 2. Eſt etiam in quibuſdam turba inanium verborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti ſpecie nitoris, circumeunt omnia copioſa loquacitate, quæ dicere volunt. Ipſam deindè illam ſeriem cum alia ſimili iungentes miſcentesq; vltrà quam vllus ſpiritus durare poſſit, extendunt: in hoc malum etiam à quibuſdam laboratur. Neque id nouum vitium eſt. Cùm iam apud Titum Liuium inueniam fuiſſe præceptorem aliquem, qui diſcipulos obſcurare, quæ dicerent, iuberet, Græco verbo vtens σκότισον. Hæc ille.

Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 4. ca. 14. In po-

pulo,inquit,graui, (de quo dictũ est Deo:in populo graui laudabo te:) nec illa suauitas delectabilis est: Qua noua quidem iniqua dicuntur: sed exigua & fragilia bona spumio verborum ambitu ornantur, quali nec magna atq; stabilia decenter & grauiter ornarentur. Et tale aliquid in Epistola beati Cypriani est: Quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, vt sciretur à posteris, quàm linguam doctrinæ Christianæ sanitas ab ista redundantia reuocarit, & ad eloquentiam grauiorem modestioremq; restrinxerit. Qualis in eius consequentibus literis securè amatur, religiosè appetitur, sed difficillimè impletur. Ait ergo quodam loco: Petamus hanc sedem: dẽt secessum vicina secreta. Vbi dum erratici palmitum lapsus, pendulis nexibus, per arundines baiulas repunt, viteam porticum, frondea tecta fecerunt. Non dicuntur ista nisi mirabiliter affluentissima fœcũditate facundiæ: sed profusione nimia displicent. Qui verò hæc amant, profectò eos qui nõ ita dicunt, sed castigatiùs eloquuntur, non posse ita eloqui existimant, non iudicio istæ deuitare. Quapropter iste vir sanctus, & posse se ostẽdit sic dicere: Quia dixit alicubi: Et nolle, quoniam postmodũ nusquam. Hæc Augustinus.

DE DIGRESSIONIBVS earumq; modo.

Digressiones rariores esse debent: vt præcipit etiam Horatius initio de Arte:

In cœptis grauibus plerunq; & magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, vnus & alter
Assuitur pannus.

Deindè tales esse debent, vt ex argumento ipso nasci & existere nõ quæsitæ, & coactæ esse videantur. Si enim

& cre-

& crebriores sint, & à re proposita nimis alienæ, fit monstrum illud orationis. Quod Horatius eodem loco describit:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit: & varias iuducere plumas.
Vndiq; collatis membris vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè:
Spectatum admissi, risum teneatis amici?

Et quod Martialis ait lib. 6. huc congruit:

Non de vi, neq; cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto.
Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et periuria Punici furoris
Et Syllas, Mariosq;, Mutiosq;
Magna voce sonas manuq; docta
Iam dic, Posthume de tribus capellis.

Atque hac in re non rarò ab Ecclesiastis peccari solet. Qui dum vitia quædam recentia auditorum reprehendere volunt, nimiùm à themate digrediuntur, aut verba thematis eò, quò volunt detorquẽt. Vnde frigus & orationis, & reprehensionis consequitur.

Postremò Digressio nõ nimis longa esse debet. Cicero de Oratore 3. num. 161. Ab re, inquit, non longa digressio erit. Si quis igitur exempli caussa, Euãgelium de Natiuitate Christi tractet: Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur totus orbis, *&c.* Ineptũ esset, si quis, quoniam Augusti hîc mẽtio fit, in eius historiam totam, aut magna ex parte recitandam & repetendam excurreret, & sic de alijs.

DE EXORDIIS ET EPILOGIS, eorumq; modo.

EXordia & Epilogi plerumq; Heterogenea sunt, sicut Digressiones, & extra rem atq; caussam assumũtur. Hæc ergo nõ semper sunt necessaria in oratione populari. Vnde & Aristoteles Rhet. 3. ca. 16. docet duas tãtùm partes orationis semper necessarias esse, nempè, Propositionem & probationem. Procœmium autem, & Epilogum nõ esse necessarias. Nã Procœmium, inquit, in Deliberatiuo genere tũc adhibetur, cùm inter eos, qui sententias dicunt, cõtrouersia est. Neq; peroratio in omnibus iudicijs adhibetur. Vt si parua fuerit oratio, aut res eiusmodi, quæ facilè memoria comprehendi possit. Et cap. 17. Procœmij, inquit, proprium est, finem institutę orationis aperire. Quare si caussa per se perspicua fuerit, aut parua, principio nihil opus est. Et paulò pòst: Illud verò tenendum est, hæc omnia esse extra caussam. Nam ad auditorem deprauatum spectant, & ad eum, qui libẽter audit, quæ nihil ad rem faciunt. Nam nisi talis sit, nihil opus est Procœmio: sed sufficit id, quod caussa postulat, summatim dicere, vt Iudex illud tãquam caput caussæ totius habeat. Attentos verò facere, cõmune est omnium partium, cùm opus est. Nã alibi magis vbiq;, quàm initio auditores animum remittunt. Itaq; ridiculum est, hoc initio constituere. Quoniam attenti tunc maximè sunt auditores. Et paulò pòst: Quòd autem ad auditorẽ habeantur Procœmia, nõ quatenus auditor est, haud dubiũ esse potest. Qui enim malam caussam habent, vel habere videntur, Procœmijs vtuntur. Nam in quouis loco potiùs commorari meliùs est ipsis, quàm in ipsa caussa. Itaque serui etiam ad interrogata non respondent: sed verborum ambagibus, & longis Exordijs vtuntur. Item

Delibera-

Deliberationum Exordia à Iudiciali genere ſumuntur, cùm opus eſt. Natura enim deliberationes nulla habent Exordia. Quoniam ſciunt auditores de qua re verba ſint facienda.

Et lib. 1. cap. 1. Quod ſi, inquit, id in omnibus Iudicijs fieret, quod in aliquibus ciuitatibus etiam hoc tempore fit, atque in illis pręcipuè, quæ bonis legibus fundatæ ſunt: nihil ſanè iſti haberent, de quò verbum facere poſſent. Omnes enim exiſtimant Legibus ferè cauere oportere: Quidam etiam eo vtuntur, & prohibent Oratorem quicquam extra cauſſam dicere: Quemadmodũ Athenis fit in Ariopago. Et rectè quidem mea ſententia. Hæc Ariſtoteles. De conſuetudine autem Ariopagitica vide Prouerbium: Quid de paruis magna Prooemia. Vide plura apud Ciceronem de Oratore nu. 138. Et apud Fabiũ lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 1.

Cùm ergo in concionibus ſacris populus ad audiendum ferè paratus ſit, non ſemper hîc Exordijs eſt opus. Eraſmus de concionandi ratione pag. 723. Exordij, inquit, & Prooemij Inuentio non eſt quòd torqueat Eccleſiaſten. Quæ ſæpè difficilior eſt ipſo argumẽto, nec ſemper neceſſaria eſt. Satis enim interdum erit quòd tractaturus eſt breui commendatiuncula proponere. Vt verba quæ modò recitata ſunt, plena ſunt doctrinæ & conſolationis. Quare diligẽter & attentè eorum explicatio audienda eſt. Et alius Prooemij loco ſumi poteſt propoſitio cum diuiſione, vt tria hoc tempore Deo opitulante explicare conſtitui. Primùm quã grata Deo ſit Eleemoſyna, tùm quàm latè pateat Eleemoſynę vocabulum: Poſtremò qua moderatione diſtribuẽda ſit. Hæc Eraſmus. Hîc ergo locum habet Prooemium illud Platonicum 4. de Republica: Longum Prooemium audiendi cupido.

Huc

Huc & illa Erasmi spectant pag. 719. Non ita, inquit, iuuerunt Ecclesiasten, quæ traduntur de partibus operis, Exordio, Narratione, Diuisione, Cõfirmatione, Confutatione, & Conclusione. Nã quod ad Exordia attinet, ipsa Scripturarum maiestas, quas enarrat Ecclesiastes, & vtilitas non vulgaris (agitur enim de sempiterna fœlicitate) vltrò sibi conciliat attentionem, docilitatẽ & beneuolentiam, præsertim inter Christianos. Quòd si forensis Orator Exordio supersidet, quoties caussa nõ postulat: sed vltrò adest, quod procœmijs captatur: ineptè faciunt quidã horum temporũ, qui nunquam conscendunt suggestum, nisi cum accurato Exordio: eoq́;, quod absurdissimum est, ab argumento alienissimo, vt potiùs sit noua oratio, quàm Exordium. Atq; hoc existimãt esse melius Exordium, quo fuerit alienius. Hæc Erasmus.

Exordij seu pars, seu species, seu appendix quędam est inuocatio. Qua etiam prophani tùm Poetę initio operũ suorum, tùm etiam Oratores interdũ in caussis grauioribus vsi sunt. Vt patet cùm aliũdè, tùm ex oratione Demosthenis de corona, & oratione Cõsulis Romani Posthumi apud Liuium Decad. 4. lib. 9. Philosophi etiam in grauibus dogmatibus proponendis initiò inuocare Deos soliti sunt, vt facit Plato initio doctrinæ Physicæ in Tymæo.

Inuocatio ergo iustiùs & rectiùs conciones sacras, & inchoat & claudit. Quare nõ tãtùm in priuata, & domestica Scripturæ meditatione, vt antè diximus: sed etiam in publico concionandi actu, auxilium diuinum à concionatore semper implorandum est.

DE EPILOGO.

EPilogus in oratione populari etiã extra rem & caussam est. Eius officium & vsus erat præcipuè duplex.

Primum

Primum in Affectibus mouendis. Alterum in Argumentis seu capitibus præcipuis orationis memoriæ caussa repetendis.

Affectus autem in Iudicijs mouere, plerunq; Sophisticū erat, & vim iusticiæ facere. Aristoteles Rhet. 1. ca. 1. Rectè, inquit, sentiunt, qui existimant iudicem non esse animi affectibus perturbandum. Neq; enim conuenit iudicem distorquere atq; inflectere ad indignationem, vel inuidiam, vel misericordiam. Idem enim: id est, ac si quis eam, qua vsurus est, regulam obliquam & tortuosam efficiat. Quod autem ad repetitionem attinet, ea non semper est necessaria. Aristoteles lib. 3. Rhet. cap. 16. Neque, inquit, peroratio in omnibus orationibus & iudicijs adhibetur: Cùm enim oratio breuis est, & εὐμνημόνευτος: id est, eiusmodi, quæ memoria facilè comprehendi possit: Epilogis non est opus.

In sacris igitur concionibus ad affectus mouendos, Epilogis minus est opus. Affectus enim, si qui mouendi sunt, in ipso orationis corpore potiùs quàm in Epilogo mouendi sunt, vt antè dictum est, ac præstat orationem Epilogo aut nullo, aut perbreui claudere, vt Aculei orationis in animis auditorum relinquātur. Deindè cùm orationes sacræ breuiores ferè sint, nec horæ spaciū ferè excedant, aut excedere deberent, vt ordinatione etiā, Regia apud nos constitutum est: interdum etiam eò sint breuiores, ac proinde satis sint εὐμνημόνευτοι: Repetitionis etiā caussa minus Epilogis opus est. Ac satius est interdum vno aut altero verbo orationē claudere: cuiusmodi sunt illa apud Aristotelem lib. 3. cap. 22. Præstiti ergo quæ pollicitus sum. Item, dixi, audistis, rem tenetis. Et alia similia, vt hæc hactenus: hæc hoc tempore sufficiant, &c.

DE CRYPSI ET OCCVLTAtione Rhetorices.

HActenus de occultatione Dialectices: Nūc de occultatione Rhetorices aliquid dicendum est. Etsi enim illa tota populo & multitudini nata est, vt ait Cicero: tamē neq; illa temerè in populari etiam oratione adhibenda est. Marcus Calidius Orator eos quorum altior oratio actioq; esset ardētior, furere & bacchari arbitrabatur, vt est apud Ciceronem de claris Oratoribus num, 190. Quod telum in ipsum Ciceronem torquebatur. Qui non solùm initiò in Logicis repetitionibus nimius, & digressionibus leuior: sed etiam in compositione orationis mollis, & in toto orationis, & actionis genere latior & ardentior. Quare in toto artificio Rhetorico modus quidam etiam in populari oratione adhibendus est.

DE ELOCVTIONE.

DE Elocutionis crypsi & modo passim præcipit Fabius, lib. 8. in Prooemio: Sit ergo, inquit, cura Elocutionis quàm maxima, dū sciamus tamē nihil verborum caussa esse faciendum cùm verba ipsa rerum gratia sint reperta. Quorū ea sunt maximè probabilia, quæ sensum animi nostri optimè promunt, & in animis auditorum, quod volumus efficiunt. Ea debent præstare sine dubio admirabilem, & iucundam orationem: Verū admirabilem non sic, quomodo prodigia miramur, & iucundam orationem nō deformi voluptate: sed cum laude ad dignitatem, coniunctam.

Et paulò antè decor in dicendo, mea quidē opinione pulcherrimus est: sed cùm sequitur, non affectatur. Corpora sana & integri sanguinis, & exercitatione firmata,

ex iiſdem his ſpeciem accipiunt, ex quibus vires: Namq; & colorata & aſtricta, & lacertis expreſſa ſunt. Sed eadē ſi quis vulſa atque fucata muliebriter comat, fœdiſſima ſint ipſo formæ labore. Et cultus conceſſus atq; magnificus addit hominibus, vt Græco verſu teſtatum eſt, autoritatem, at muliebris atq; luxurioſus nō corpus exornat: ſed detegit mētem. Similiter illa translucida & verſicolor quorūdam Elocutio res ipſas effœminat, quæ illo verborum habitu veſtiuntur. Curam ergo verborum, Rerum volo eſſe ſolicitudinem. Nam plerumq; optima, rebus tanquam cohęrent, & velut vmbra corpus res ſequuntur.

Et lib. 12. cap. 9. Verborum delectus, grauitas ſententiarum, figurarum elegantia, aut non ſunt, aut apparent. Sed vel propter hoc ipſum oſtentanda non ſunt, quod apparent. Hæc Fabius.

Oratio ergo popularis maxima ex parte populari ſermonis genere conſtare debet. Nam vt ait Fabius lib. 8. cap. 1. vel maximum in dicendo vitium eſt, à vulgari genere orationis atq; à conſuetudine cōmunis ſenſus abhorrere. Deindè pręcipua in dicendo cura eſſe debet puri & dilucidi ſermonis, vt res omnes, de quibus dicendū eſt, proprijs & aptis verbis, rectè & aptè iūctis perſpicuè & clarè efferre & exponere poſſimus.

Huic deindè vulgari ſimplici, & perſpicuę orationi ornamenta Rhetorica, Troporum & figurarū parcè & temp eſtiuè inſerenda ſunt, cùm res ipſa & circumſtantiæ id ferunt vel poſtulant.

Vt enim in prato graminis copia maxima eſt: floſculi autē hinc inde ſparſi naſcuntur & conſpiciuntur: Ita orationis corpus maxima ſui parte ex vulgari, ſimplici, & proprio ſermone cōſtare debet: Deindè certis interual-

lis quasi flosculis verborum & sententiarum aptè conspersum & distinctum esse, qui velut insignia & lumina illustria in ipso orationis corpore emineant.

Hac enim ratione fiet, id quod ait Cicero, optimũ esse orationis genus, quod qui audiunt, quãuis infantes sint: tamen illo modo confidunt se posse dicere, cùm experiẽti facilitas illa planè inimitabilis sit. Quòd exprimens Horatius iubet ita scribere:

-vt sibi quiuis
Speret idem: sudet multum, frustraq; laboret
Ausus idem.

Ornamenta autem Rhetorica, præsertim figuræ sententiarum tùm vtiliter adhibentur, cùm auditor excitandus, & impellendus est, vt in sacris cõcionibus, in exhortationibus ad studium pietatis & charitatis, in laudationibus virtutum, & bonorum operum, in reprehensionibus vitiorum, pręmiorum promissionibus, & pœnarum comminationibus. Huius rei exempla illustria passim in Prophetis & Apostolis obuia sunt.

Quomodo autem in genere, & quando materia proposita amplificationes ex argumẽtis, & ornamentis Rhethoricis recipiat, docet Erasmus proposito themate de Paralitico ex Matthęi 9. & Lucæ 5. pag. 843.

DE PRONVNCIATIONE.

DE Pronunciatione Aristoteles lib. 3. Rhet. cap. 2. breuiter pręcipit: plura Cicero de Oratore 3. num. 162. Plurima autem & penè nimiũ Fabius lib. 11. cap. 3. Atque huic artis parti plurimum est à veteribus tributum.

Horatius de arte Poëtica pręcipit, vt histrio in fabula agẽda eos affectus induat, & exprimat, quos in alijs excitare velit:

Vt ridentibus arrident: ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere: dolendum est
Primum ipse tibi: tunc tua me infortunia lædent.
Telephe vel Peleu, malè si mandata loquaris:
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mæstum
Vultum verba decent: irarum plena minarum:
Ludentem lasciua: seuerum seria dictu, &c.

Hoc prȩceptum & consilium etiam ad Oratorem, & orationem popularem Rhetores accommodarunt: Cicero 2. de Oratore num. 125. Et Fabius lib. 6. cap. 2.

Verùm in tota hac re moderatio & mediocritas quædā adhibenda est, ne pronunciatio Oratoria in pronunciationē scenicam, histrionicā & Mimicam degeneret: ac Oratorem quàm minimum acrioribus affectibus turbari consultissimū esse videtur. Nam & perturbatio ipsa sapientis grauitate indigna est, & animo perturbato verba facilè excidere possunt, quæ parùm rem & circumstātias deceant, auditores offendant, & caussæ ac rei sæpè officiant.

Pronunciatio autem consistit partim in voce, partim in gestibus.

VOCIS MODERATIO.

VOcis quidem bonitas optanda est, sed quæcunq; ea fuerit tuenda & exercēda est. Deindè ita exercēda est, vt omnia quæ dicēda sunt sono vocis rebus accommodato proferri possunt. Præterea vox neq; acutissima, neq; grauissima esse debet: sed intermedijs inter summū & imum spacijs versari. Nam nimis submissa voce debilitatur intentio, & oratio quasi mortua & somniculosa est. Dicere autem omnia clamosè insanū est. Porro fugienda est vocis μονοτονία, & adhibenda est quædā

vocis varietas rebus, verbis & ſentētijs conueniens. Nā ea & vocem tuetur, & auribus grata eſt. Adhæc in omni voce eſt quiddā medium, ſed ſuum cuiq; voci. Hinc paulatim atq; gradatim aſcendere vocem vtile eſt & ſuaue. Nam ea res & vocem confirmat, & à principio ſtatim clamare agreſte quiddam eſt. Præterea contentionis ſummum quiddam eſt, ſed infra acutiſſimū clamorem: quo cum peruentum eſt, vox remittenda rurſum. Fugiēdum autem hîc eſt vitium quibuſdam vſitatum, qui vocē ſubindè tollunt clamore ſubito ac repētè demittunt: etiam cùm res nihil habeat vehementiæ. Quod non caret ſpecie dementiæ.

ACTIONIS MODERATIO.

DE actione & geſtibus primùm corporis totius tùm membrorum, capitis, vultus, oculorum, brachiorum, digitorum, pectoris, femoris, pedum, *&c.* Plura etiam quàm de voce præcipiunt. Ac in genere præcipiunt, vt geſtus cùm corporis totius, tùm membrorum omnium voci ſubſeruiat.

Sed hîc etiam moderatio adhibenda eſt, ne oratio geſticulationibus ridiculis & ineptis deformetur. Ac de rebus grauibus dicentem cōuenientiſſimum eſſe videtur, placidè & grauiter dicere, & quàm pauciſſimis geſtibus vti, & ore & voce potiùs, quàm membrorum crebro motu & iactatione loqui.

Sitq; ſtatus corporis quietus, & ſecundum naturam erectus. Natura enim

Os homini ſublime dedit cœlumq; tueri
Iuſsit & erectos, ad ſydera tollere vultus.

Sint etiam membra tranquilla. Caput interdum modeſtiæ cauſſa nonnihil demittitur: ſed crebrò inflecti, &

huc

huc illuc conuerti non debet. Brachia & manus quã minimum proferenda, & iactanda ſunt.

Quàm indecora ſit corporis crebra inflectio & vacillatio, oſtendit Cicero in Curione num. 184. Motus, inquit, Curionis is erat, quem Iulius in perpetuũ notauit, cùm ex eo in vtramq; partẽ toto corpore vacillãte quæſiuit, quis loqueretur è lintre? Et Cn. Secynius homo impurus, ſed admodum ridiculus. Is cùm Tribunus plebis Curionem & Octauium conſules produxiſſet: Curioq; multa dixiſſet, ſedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſcijs, & multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus: Nunquam, inquit, Octaui, collegæ tuo gratiam referes. Qui, niſi ſe ſuo more iactauiſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent.

Atq; huc referatur illud Eſchinis in oratione contra Timarchum. Veteres, inquit, Oratores, Pericles, Themiſtocles, Ariſtides, adeò modeſti fuerunt, vt quod nũc de more omnes facimus, ut prolata manu dicamus: id tùm audaciæ tribuerint, & facere verecundati ſunt, cuius cõſuetudinis me reipſa magnum vobis argumentũ oſtenſurum eſſe arbitror. Satis enim ſcio vos omnes traieciſſe Salaminem, & Solonis ſpectaſſe ſtatuã. Itaq; ipſi teſtari poteſtis, Solonem in foro Salaminiorum ſitum eſſe, manu intra veſtem condita. Illud eſt monumentum, Athenienſes, & ſimulachrum geſtus Solonis, quonam pacto cum populo Athenienſium ſermonem habuerit. Hæc Eſchines. Atq; hæc de Pronunciationis vocis & actionis moderatiõe. De qua re plura vide apud Eraſmũ pa. 797.

RHETORICA ECCLESIAſtica propria.

HActenus Rhetorica Eccleſiaſtica communis fuit in ipſa populariter dicendi ratione. Nunc propria ſequitur.

quitur. Ea eſt, quæ ſoli concionatori Chriſtiano conuenit. Hæc ergo in dicēdi materia, & fine cōſiſtit. Vt enim ratio ipſa populariter dicendi communis eſt concionatori ſacro cum Oratore prophano: Materia autem & finis cōcionis ſacræ Eccleſiaſtæ propria ſunt. Sed hæc rurſum duplex eſt. Generalis & Specialis.

Generalis.

Generalis eſt, omnis materiæ & finis Generalis. Materia ſacrarum concionum ex ſacra Scriptura depromenda eſt, atque inde & thema orationis & thematis explicatio maxima ex parte petenda eſt. Atq; hîc cōcionator fit etiam Theologus. Et hîc ingens diſcrimen Rhetoricæ Ciuilis forenſisq́;, & Eccleſiaſticæ & Oratoris prophani & concionatoris ſacri exiſtit.

Thema ex ſacris Scripturis initio concionis recitare moris eſt. Eaq; à Scripturæ verbis exordiendi ratio non caret veterum exemplis. Sic orſus eſt Diuus Baſilius populum adhortaturus ad placandum Deum iratum: Leo rugit, & quis non timebit: Deus locutus eſt, & quis non prophetabit? Similiter ad ieiunium hortaturus ſic incipit: Canite Tuba in Ziō, in inſigni die ſollēnitatis veſtræ.

Thema autem Scripturæ pro concione enarrandum, vel arbitrio concionatoris deligitur, vel pro tempore offertur. Pro tempore offerūtur in noſtris Eccleſijs themata Euangeliorum & Epiſtolarū, quæ diebus Dominicis & feſtis alijs aſſignata ſunt & explicari ſolent: Ac Feſtorum themata Euangelica ad hiſtoriam Chriſti ferè accōmodata ſunt, vt Conceptionis Mariæ ſeu Annunciationis, Viſitationis Mariæ, Natiuitatis, Circumciſionis, Epiphanias, Purificationis Mariæ, Baptiſmi, tùm Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis in Cœlum, Miſſionis Spiritus Sancti.

Euangelia autem Dominicalia plurimū quinquaginta tria, ſingulis ferè vocibus, memoriæ cauſſa nouem verſibus comprehenſa ſunt. Quorum primum eſt dominicæ Aduentus primæ, quod cætera ordine ſequuntur:

Matth. 21. Luc. 21. Matth. 11. Ioh. 1. Luc. 2. Luc. 2.v.41.
Caſtellum, ſigna, vinclis, vox, Anna, remanſit.

Ioh. 2.v.1. Matth. 8.v.1. Matth. 8.v.23. Matth. 13.v.24. Matth. 20.v.1. Luc. 8.v 4.
Hydria, læpra, rates, zizania, vinea, ſemen.

Matth. 3.v.13. Matth. 4.v.1. Matth. 15.v.21. Luc. 11.v.14. Ioh. 6.v.1. Ioh. 8.v 26. Matth. 21.v.1.
Bap. tentans, catuli, regnum, piſces, lapides, laus.

Marc. 16.v 1. Ioh. 20.v.19. Ioh. 10.v.11. 16.v.16. 16.v.5. 16.23. 15.v.26 & cap.16.
Vnctio, pax, paſtor, modicum, vado, pete, πνεῦμα.

& 14.23. & 3.v.1. Luc. 16 v.19. & 14. 16. & 15.1. 6.36.
Manſio, Nicodemus, diues, iuga, drachma, miſertus.

Luc.5. v.1. Matth.5. v.20. Marc.8. v.1. Matth.7. 15. Luc.16. v.1. Luc.14. v.41.
Rete, Racha, panes, à falſis, villicus, & flens.

Luc.18. v.9. Matth 7. v.31. Luc.10. v.23. 17.11. Matth.6. 24. Luc.7. v.11.
Phariſæus, mutus, oculi, lepra, quærite, Nain.

Luc.14. v.1. Matth 22. v.34. 9.1. 22.1.
Hydrops, mandatum, paralyticus, ecce paraui.

Ioh 4. v.46. Matth.18. v.23. Matth.22. 15. 9.18. 21.25.
Regulus, & ſeruus, Phariſæi, filia, fulgur.

Quod autem ad thematis ſacri explicationē attinet, ea etiam maxima ex parte ex ſacra Scriptura petēda eſt: Inprimis cùm dogmata fidei explicātur. Sed hic cauen-

dum eſt, ne Scripturæ citatio vel nulla vel nimia ſit. Si enim nulla eſt, concionator ſuas tantùm cogitationes ſine verbi Dei fundamento proponere videtur populo. Sin autem nimia ſit, & quædam quaſi concordantiarum coaceruatio, populus copia ipſa obruitur, & res ipſa plus habet oſtentationis, quàm ſolidi fructus. Teſtimonijs igitur interdum cùm opus eſt, ijsq́; ſelectis, & maximè congruentibus vtēdum. Deinde citatio cùm in omni alia oratione populari, tùm in cōcione ſacra minimè ſcrupuloſa & ſcholaſticæ ſimilis eſſe debet. Quæ ſcholaſtica interdum in prælectionibus, cùm alijs, tùm Theologicis non ſolùm caput authoris aut libri, ſed etiam verſum capitis indicat, vt loca faciliùs inueniri, & à rudioribus, Grammaticæ præſertim cauſſa accuratiùs inter ſe conferri poſſunt. Eraſmus in Eccleſiaſte pag. 796. Non ſemper, inquit, neceſſe eſt capitis, aut Pſalmi numerū addere, atq; in principio ſit, an in fine, deſignare. Quod interdum Iureconſulti faciūt ad oſtentationem, titulo addentes legem, & paragraphum, interdū & verſum. Quāquam illi hoc faciūt excuſatiùs, quàm ſi faciat Eccleſiaſtes. Habet hoc illa profeſſio. Exigunt auditores, quo faciliùs loca conferant. Priſcis ſatis erat dicere, quemadmodū docet Paulus ſcribens Romanis, aut ſicut in Euāgelio Matthei loquitur Dominus.

Quod ſi ſententia talis eſt, vt fide ſit caritura niſi confirmata certo Scripturæ teſtimonio, tùm haud intempeſtiuum fuerit eam citandi diligentiam adhibere. Hîc autem nonnulli bis peccant, qui nihil dicūt abſq; Scripturæ teſtimonio, etiamſi res eius generis ſit, vt nullo egeat teſtimonio, & nuſquam non addunt capitis numerum. Quæ res non ſolùm habet ſpeciē oſtētationis: verūetiā orationis fluxū interſecat, & caliginem quandam rebus inducit, *&c.*

In

In doctrina autem de moribus maxima etiã pars tractationis ex ſacris literis petẽda eſt. In ijs enim omnium virtutum præcepta & exempla luculentiſſima extãt, maximè in concionibus & vita Chriſti, vt oſtendit præter alios Eraſmus de veræ Theologiæ ratione. Hîc tamẽ interdum etiam dicta & facta prophana, & ex vita cõmuni ſumpta adhiberi poſſunt res, parcè & rarò, & nominibus prophanorum Scriptorum ſuppreſſis. Vt eſt à Paulo factum Actorum 17. & 1. Cor. 15. & ad Tit. 1.

Paſſim verò in concione dicta prophanorum autorũ, & in his ſentẽtias & verſus etiam Latinos, exempla item prophana ſæpè frigida & leuia, & à nullo idoneo autore prodita: Nomina deniq; autorum prophanorum apud populum Chriſtianum inculcare longè ineptiſſimũ eſt.

In thematis etiam ſacri tractatione, & res & verba grauia, & honeſta eſſe debent.

Quare cùm concionatori verba facienda ſunt de humanæ naturæ infirmitate & miſeria, de ſexu, de nuptijs, de puerperijs, & ſimilibus, cautè, prudenter, & modeſtè loquendum eſt. Ac cogitare debet concionator ſe non ſolùm apud hominem, animal plenum pudoris & verecundiæ: ſed etiam apud Chriſtianos, idq; in conſpectu Dei & Angelorum verba facere. Ac proinde det operã ne modũ & fines pudoris, verecundiæ, honeſtatis & pietatis excedat, aut vllum verbũ dicat quò hæc lædi, & honeſtæ & piæ aures offendi poſſint. Paulus ad Epheſ. 4. v. 29. Nullus ſermo vitioſus ex ore veſtro egreditor: Sed ſi quis eſt bonus ad ædificationis vſum, vt gratiam adferat auditoribus. Et ad Col. 4. v. 6. Sermo veſter ſit ſemper cum gratia & ſale conditus.

res et verba pro[...] cione debent esse h[o]nesta et grauia.

Finis concionis ſacræ, & concionatoris officium præcipuum eſt gloria Dei, & ædificatio auditorum: id eſt, ſa-

lus æterna. Ad hunc finem geminum tanquam ad ſcopũ omnia in concione dirigẽda ſunt. Vt etiam Paulus ſubindè præcipit. 1. Cor. 10. Omnia in gloriã Dei facite, & 14. Vos qui dona ſpiritualia ambitis, date operam vt excellatis ad ædificationẽ Eccleſiæ. Et Timotheo aliquoties præcipit, vt vitet omnes doctrinas, quęſtiones, diſputationes, quæ non conferunt ad pietatem, neq; ad ædificationem Dei, quæ eſt per fidem.

Concionator ergo non prudentiæ & ſapientiæ mundanæ, Philoſophicæ, Politicæ aut Oeconomicæ doctor eſt, neque eſſe debet, cuius rei ſępè auditores, peritiores ſunt, quàm cõcionator. Neq; Politiæ & Oeconomiæ legumq; reformator, qui alterum pedem in ſuggeſto: alterum in curia habeat, vt Cleon apud Ariſtophanem: ſed doctrinæ cœleſtis fidei, pietatis, timoris Dei, charitatis erga proximum, & in genere bonorũ morum magiſter, & eorum quæ contra pietatem & bonos mores ſunt, & in vita cõmittuntur reprehenſor eſt, & eſſe debet.

Ac proindè eam prudentiam & iudiciũ adhibere debet, vt ex themate doctrinæ cœleſtis propoſito, eas res, eaq; rerum & doctrinarũ capita & locos eligat, quæ ad fidem, pietatem, timorem Dei & charitatem proximi in animis auditorum excitãdam & alendam maximè pertineat.

Poſtremò earum rerum & doctrinarum tractationẽ ita inſtituat, vt etiam ab indoctis & rudibus intelligi poſſit, nec captum eorum excedat. Secũdum illud Pauli ad Rom. 1. Debitor ſum ſapientibus & inſipientibus.

Non igitur ingenium & acumen ſuum, aut doctrinã, ſi qua eſt, aut ſubtilibus & ocioſis quæſtionibus ventilandis, aut bonis & utilibus rebus, ſubtiliter nimis tractandis oſtentare debet. Id quod nominatim etiã prohibet

ordinatio

ordinatio Ecclesiastica regni nostri. pagina 23. facie secunda.

Et quia tota concio popularis esse debet, & ad rudiũ captum accõmodata, & omni ostẽtatione carere, etiam cùm vel thema recitatur, vel testimonia sacræ Scripturæ citantur, versio ad linguæ popularis consuetudinem accommodata esse debet, vt à populo intelligi possit: aut si versio alicubi verbis insistens, & phrases, tropos, & figuras Hebræas, Grȩcas, aut Latinas retinens, obscurior est: ac proinde explicatione aliqua indiget, hîc sensus verbis popularibus simpliciter exprimendus est, & declarãdus à concionatore. Latina autem, Græca & Hebraica, vt earum linguarum peritiam ostendat suam, inculcare non debet. De quo Paulus. 1. Cor. 14. v. 11. Nisi sciuero vim vocum, ero ei qui loquitur barbarus: & qui loquitur apud me barbarus fuit. Et v. 19. In Ecclesia malim quinq; dicta ex intelligentia mea loqui, vt & alios instituam, quàm decem millia verborum lingua.

RHETORICA ECCLESIAstica specialis.

HActenus Rhetorica Generalis fuit, sequitur Specialis. Ea est, quæ concionũ genera discernit & tradit. Atque huius generis sunt libri pleriq;, admonitiones & prȩceptiones de concionandi ratione à recentioribus scriptæ. Cuiusmodi duæ breues & vtiles extant in initio Tomi secundi operum Philippi Melanchthonis pag. 7. & deinceps: quorum priori titulus est Ratio breuis sacrarum concionum tractandarum à quodã docto & pio rapsodo, Philippi Melanchthonis familiari congesta. Alteri autem titulus est, de Officijs cõcionatoris. Philippi Melanchthonis dissertatio.

Concionum genera.

Etſi autem communis quædam eſt, & generalis omnium concionum ratio, quæ iam expoſita eſt, ex Grammatica, Rhetorica, Dialectica & Ethica, petenda: tamen ex varia thematis propoſiti tractatione, materia & fine, varia etiam concionũ genera conſtitui poſſunt: & quãuis ea varia ſint, & variè tradi poſſunt, vt fit in diſtinctionibus: tamẽ ad pauca eaq; præcipua capita reuocari poſſunt & ſolent hoc modo.

Concio ſeu concionis genus duplex eſt, ſimplex & mixtum.

Simplex.

Simplex eſt, quod eſt unius materiæ & finis, idq; concionum genus rarius eſt. Hoc rurſum duplex eſt: Didaſcalicum & Paræneticum. Nam iudiciale genus totum ciuile & forenſe eſt, nihilq; ad concionatorem ſpectat, ſed tantùm ad Rhetores & Oratores. Demonſtratiuum autem pars eſt generis Didaſcalici, vt infra videbimus.

Didaſcalicum.

Didaſcalicum eſt, quod docet tantùm. Et maximè in doctrina fidei explicãda verſatur: & ad ignorantẽ & obliuioſum auditorem ſpectat. Propter quem ſæpè eadem ſunt repetenda, vt monet Paulus ad Phil. 3. Eadẽ ſcribere vobis, me quidem haud piget: vobis autem vtile eſt.

Etſi autem doctrina duplex eſt: Vna verborum, altera rerum: quarum illa Grammatica & Rhetorica eſt, hæc Dialectica & Theologica: tamen quia verborum linguæ præſertim Græcæ & Hebraicæ, præcipuè ad ſcholam & earum linguarum in Scholis Profeſſores & Theologos ſpectat magis, quàm ad concionatorem, de rerum tantùm doctrina hîc dicendum eſt: quæ res & in Scholis, & in Eccleſijs explicantur: ſed in Scholis ſubtiliter & accu-

ratè:

ratè:in Ecclesijs autem crassè & populariter.

Didascalicū igitur totū ex doctrinæ cœlestis & Theologię solida cognitione & pręceptis Dialecticis pendet.

Atq; hîc ars Dialectica ad Theologiā & materiæ propositæ naturam, magis quàm Theologia aut proposita materia ad artem Dialecticam accommodanda est.

Didascalicum duplex est, Doctrinæ simplicis & coniunctæ.

Doctrinæ simplicis.

Doctrina simplex est, quæ vno nomine substantiuo, aut periphrasi vni substantiuo æquipollenti continetur. Vno, vt Deus, Christus, peccatū, fides. Periphrasi, vt filius Dei, Spiritus Sanctus, iusticia fidei, opera charitatis.

Doctrina simplex ex Locis Inuētionis Methodicè dispositis, & ad rem accōmodatis explicatur. Atq; hîc fons est omnium aliorum generū. Vt enim literę omnis Scriptionis : ita Loci Dialectici omnis orationis materia sunt, vt ait Cicero 2. de Oratore, & in Topicis.

Hîc verò in doctrinę & rei simplicis explicatione ij tātùm Loci adhibendi & executiēdi sunt, qui in rei natura insunt, qui vel in rei natura sunt, vel in sacris Literis explicati sunt, vel etiam explicationē vtilem & necessariā habent. Qui cōtra in rei natura nō sunt, aut in sacris Literis applicati nō sunt, aut doctrinam vtilem & necessariam nō habent, ij rectè omitti possunt. Ac sæpè satis est præcipua rei argumenta attingere & explicare, vt sunt Definitio, Caussæ & Effecta.

Sic in doctrina de Deo satis est dicere quid sit Deus, idq; quantum ex Scriptura intelligi & explicari potest: Quodq; Deus vnus sit, isq; sapiētissimus, potentissimus & optimus, quodq; in vna essentia tres hypostases seu personæ sint, tū qui effectus & opera, vt sunt creatio & sustentatio

sustẽtatio rerum omniũ, & redemptio humani generis. Caussam autem efficientẽ Dei quærere, aut locum subiectũ, quę nulla sunt, aut dissentanea, aut partes, aut species communi more alienum prorsus est à Dei natura.

Doctrina simplex est Personæ vel Rei.

Personæ.

Personæ est, quę personam per locos describit. Personam autem nunc latiùs accipimus pro substantia rationali, vt etiam Deum ipsum complectatur.

Persona ergo duplex est, Spiritualis & Humana.

Persona Spiritualis.

Spiritualis est, Primùm Deus ipse, qui vt rerum omnium: ita doctrinæ omnis principium est, & personæ diuinitatis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tùm Angeli boni & mali, & mentes beatæ.

Quibus autẽ argumentis, locis, & quæstionibus hæc capita piè & vtiliter tractari possint, optimè ostẽdit Philippus Melanchthon in Locis Cõmunibus in capite de Deo, & in concione de Angelis in die sancti Michaëlis in Postilla. In his enim capitibus sana & vtilis doctrina in primis, simpliciter & populariter proponẽda est. Vitanda autem omnis subtilis & curiosa quæstio & disputatio.

Personæ Humanæ.

Humana persona est, vt Abraham, Moses, Dauid, Iohannes, Petrus, Paulus, Maria, *&c.* Loci autem quibus persona humana describitur præcipuè sunt quatuor. 1. Caussa procreans, vt sunt parẽtes. 2. Effecta, vt res gestæ, dicta, facta, inuenta, scripta. 3. Subiecta, patria. 4. Adiuncta, ut sunt sexus, educatio, vitæ genus, animi, corporis, & fortunæ bona, ætas & mors.

Sed horum locorum numerus & ordo pro personæ cuiusq; natura & commoditate institui potest. Et quia

Patria

Patria vni personæ cum multis personis communis est, vel primo loco ante parentes poni potest: vel cum parẽtibus cōiungi, & effecta inter adiuncta ipsa explicari posſunt hoc ordine: patria, parentes, natiuitas, ſexus, educatio, vitæ genus, animi, corporis & fortunæ bona, res geſtæ, dicta, facta, ætas, mors, & quæ mortem conſequuntur. Vt quoad fieri poteſt, narratio hiſtorica ſit, & ſeries temporis conſeruetur.

Atq; huc ſpectat vita Chriſti, quatenus homo eſt ab Euangeliſtis maximè Luca deſcripta, & inprimis huius doctrinæ illuſtre exemplum eſt. In qua aptiſſimo ordine recitantur Chriſti patria, parentes, conceptio, & natiuitas, educatio ſeu hiſtoria iuuẽtutis, ordinatio ad genus vitæ Eccleſiaſticum, res geſtæ, videlicet doctrina ſeu cōciones & miracula, exitus vitæ ſeu paſſio, mors & ſepultura, reſurrectio ex morte & aſcenſio in cœlum.

In doctrina Sanctorum præſertim doctorum Eccleſię inter alios locos quatuor inprimis præcipuè expendendi ſunt. 1. Doctrina de ſingulis articulis fidei. 2. Miracula & mirandæ liberationes. 3. Res geſtæ, conſilia, ſcripta, *&c.* 4. Exitus vitæ.

Ac prodeſt initiò exordij loco theſin adhibere, de cōſeruatione Eccleſiæ diuina, & vocatione doctorum & inſtauratorum Eccleſiæ, de qua Paulus ad Epheſ. 4. agit. Exemplum ſit, doctrina de Iohanne Baptiſta.

DE IOHANNE BAPTIſta exordium.

PRodeſt doctrinam de Sanctis, ſeu hiſtoriam ſanctorũ proponi, vt diſcamus quid ſit Eccleſia, quomodo Deus ſubindè miſerit Eccleſiæ inſtauratores, quo-

O modo

modo regatur Ecclesia, vt Deo pro his beneficijs gratias agamus: Et discamus quæ fuerit sanctorum doctrina, & confirmemur ipsorum testimonijs & exemplis.

Propositio.

Quare Iohannis Baptistę historiam hoc tempore breuiter recitabo. Vt est descripta Matth. 3. & 11. Luc. 1. 2. 3. Iohan. 1. & 3.

Patria.

Patria Iohannis fuit Ierusolyma, aut suburbium vicinum, sedes veræ Ecclesiæ Dei.

Parentes.

Parentes eius erant Zacharias & Elizabeth, ambo iusti coram Deo, & perfecti in omnibus præceptis Domini. Natiuitas fuit in signis miraculis, prædicta ab Angelo, facta ab anu effœta & sterili. Patri muto vox restituta est, nato Iohanne. Ipse Iohannes in vtero matris Christum agnouit. Hæc miracula edita sunt, vt redderent Iohannē illustriorem, & eius doctrinam commendarent.

Educatio.

Non dubium est eum diligenter ab vtroq; parente, ad doctrinam Religionis, & omnia pietatis officia institutum fuisse.

Vitæ genus.

Vocatus est singulari modo ad instaurationē doctrinæ Religionis.

Res gestæ.

Inchoauit ministerium noui Testamenti: monstrauit Christum exhibitum digito: instituit Baptismum: cœpit abolere circumcisionē & Legem Mosaicam: taxauit errores Pharisaicos: & illustrauit veram doctrinam.

Doctrina.

Doctrina.

Docuit de omnibus articulis Symboli de Deo, de tribus personis, de persona & officio Christi, de pœnitentia, de Remissione peccatorum danda propter Christū, de Fide, de Vita ęterna, de Bonis itē operibus, de Baptismo, de Sacrificijs Mosaicis, de Ecclesia, de discrimine Legis & Euangelij, de vita Politica, de Coniugio.

Miracula.

Est ei exhibitum clarissimum testimonium de personis diuinitatis in Baptismo Christi.

Virtutes.

Erant in eo multæ & præclaræ virtutes, pietas, constātia in confessione, humilitas, sedulitas, continentia & temperantia.

Aetas & Mors.

Aetas fuit 32 annorum: Interfectus est autem ab impio Herode instinctu vxoris Herodiadis, cùm impiam & incæstam eorum consuetudinem reprehendisset. Qui exitus illustre testimonium est de immortalitate & securo Dei iudicio. Atq; hæc ferè sunt, quæ in sacris literis de Iohanne prodita sunt.

Doctrina rei.

Doctrina rei est, quæ rem per locos describit. Philippus in Dialectica lib. 1. Methodum simplicium quæstionum: in Rhetorica autem genus Didascalicū quæstionis seu thematis appellat, vt præcedentem doctrinā, locos personarū lib. 4. Dialectices. Vt si de Lege, Euangelio, Peccato, Fide, Iusticia, Ecclesia, Baptismo, cœna Domini dicendum sit.

Erasmus pag. 779. Hoc, inquit, doctrinæ genus magis

vſui eſt ijs, qui ſcribunt libros, aut in ſcholis profitentur, quàm ijs, qui cõcionantur. Incidit tamẽ aliquoties eius vſus, vt cùm explicãdum ſit populo, quid ſit vſura, & qui contractus ad vſuræ ſpeciem accedant. Frequentiùs autem incidit ijs, qui argumentũ aliquod perpetuo tenore exponũt, vt decalogum, aut Symbolum Apoſtolicũ. Hîc enim dicendum eſt, quid ſit Eccleſia, quid ſit fides. Et de cæteris ſimiliter, vt cùm tractatur de coniugio, de votis, de iureiurando, *&c.*

Loci & argumenta, quibus res tractatur, ſunt ipſi loci Dialectici, nempe cauſſa efficiens, effectus, ſubiectum, adiunctum, cõparata, diſſentanea, diuiſio, definitio, nomen, teſtimonium.


Sed in horum locorum vſu & accommodatione ad res ipſas cautio adhibenda eſt. Primum, Horũ argumentorum materia ex Scriptura & varijs Scripturæ locis depromẽda & colligenda eſt. Vt enim Grammatica literas tantùm rebus ſcribendis ſuppeditat: Rerum autem ſcribendarum materia aliunde ſumitur: Ita Dialectica titulos tantùm locorum: Theologia autem materiam locorum ſuppeditat.

Quare locus teſtimoniorum hîc primum & præcipuũ argumentum eſt, & fons reliquorum argumentorum. Atq; hoc ipſum argumentum teſtimonij etiam reliquis omnibus argumẽtis miſcetur atq; adiungitur, cùm opus eſt. Nõ tractatur ſeorſim. Sicut neq; in alijs rebus tractãdis ferè fit. Teſtimonium enim omnibus alijs argumentis inſeritur, eaq; cum themate collata confirmat.

Deinde doctrina ex ſacris literis petita, per argumenta ipſa vno tenore explicanda eſt, non aliter atq; res per elemẽta literarum tacitè ſcribitur: argumenta autẽ ipſa punctim

punctim distingui & nominari non conuenit, præsertim vocabulis scholasticis, sicut neq; literæ inter scribēdum nominantur, numerantur aut promittuntur. Nā illa subtilitas argumenta rei distinguendi, & nominandi tota scholastica est, vbi rerum quasi elementa, vt pueris literę traduntur.

Pręterea loci & argumenta ad rem propositam eiusq́; naturam accommodandi sunt. Non autem contra res naturam proposita ad locos & argumenta trahēda est. Nam vt in doctrina argumētorum, & suprà etiam diximus: nō semper omnes loci cuiq; rei conueniunt, aut in cuiusq; rei explicatione sunt necessaria. Sicut neq; quæuis vox omnibus literis scribitur. Sic ea tantùm argumenta ad rem explicandam adhibenda sunt, quæ eius naturæ conueniunt. Nā si secus fiat & omnes loci omnibus rebus promiscuē adhibeantur, sæpè vel materia defutura est, vel inanes & pēriculosæ quęstiones & disputationes necessariò existēt: aut etiam inanes & ociosæ earundem rerū sub diuersis locorum titulis Tautologię & repetitiones, quæ doctrinam obscuram reddunt. Vt est videre in scriptis quorundam, qui Theologicas quæstiones per hos locos describere conati sunt.



Sic in materijs & rebus Theologicis accuratè explicandis nō semper opus est caussę efficientis, & subiecti in quo mentio, & vsus non semper est necessarius. Omnium enim rerum Theologicarum bonarum cōmunis caussa est, & subiectū, vel Deus, vel Angelus, vel Homo, seu animus hominis, vel hi omnes simul, malarum itidē diabolus vel homo, vel vterq;

Diuisio etiam rei in partes aut species, non semper est necessaria, præsertim cùm res naturâ vna & simplex sit.

Ea enim tùm primùm est necessaria, cùm res proposita in se partes & species habeat, quæ quidem in præsentia explicādæ sint. Et diuisio partium & specierum, si qua in re inest, sæpè in ipsa definitione partiali aut speciali necessariò comprehēditur: vt parum opus sit repetitione: vel etiā ipsa partitio pro definitione esse & poni potest: & formam definitionis inducere, & locum tueri.

Diuisio etiam in materiam & formam rarò hîc est necessaria. Accidentia enim & res incorporeæ, vt sunt ferè res Ethicæ, Iuridicæ, & Theologicæ materiam ex qua, vt vulgò loquuntur, non habent, & sunt ipsæ per se formæ in subiecto hærētes. Vnde fit, vt in rerum tractatione ea argumenta adhibita, doctrinam sæpè magis obscurent atq; inuoluant, quàm illustrent, & inanes ferè repetitiones gignant, vt in doctrina argumentorū etiam diximus & docuimus.

Comparata & dissentanea cōmunia ferè plurium rerum argumenta sunt: ac proindè non semper necessaria, & hæc alijs etiam argumentis in concione populari ornatus & amplificationis caussa misceri possunt.

Quare in rei cuiusq; tractatione, tres omninò præcipui loci, & semper ferè necessarij sunt: Definitio, caussa, & effectus: vel etiam duo tantùm, vbi caussa tantùm cōmunis est: Definitio & effectus rei proprij. Interdum etiā pro omnibus argumentis est, aut esse potest, sola definitio: sed vberior & fusior, & vel omnia argumenta rei, vel præcipua tantùm complectens. Postremò, Quia concio popularis liberior est, quàm doctrina scholastica, in ea non solùm argumēta propria: sed etiam cōmunia ad rei explicationem à cōcionatore aduocari, & adhiberi possunt, cùm placet: Ita tamen, ne quid ociosum aut frigidū

sit,

sit, aut nimis altè repetitum. Quò enim argumēta queq; themati propiora sunt & magis propria, eò magis solida, grata & efficaciora ad docendum sunt.

Ordo autem locorum in doctrinæ explicatione is tenendus est, qui rei, nature, & proposito dicentis maximè seruit. Ac semper quidem in docēdo definitio & nominis explicatio prima esse debet, vt intelligatur, quid sit id, de quo dicēdum est: nec vocabuli ὁμωνυμία auditoribus imponat, aliàs enim tota oratio cæca est. Vt enim definitio in Inuentione postrema est: Ita in docēdo semper prima esse debet: eam deindè alia argumenta sequētur caussa efficiens, effectus, &c.

Quibus ergo locis & argumentis caput quodq; rerū Theologicarum rectè & vtiliter explicetur, optimè ostēdit Philippus Melanchthon in locis Theologicis, & passim alibi in suis scriptis: de lege Dei, de Peccato, de Euangelio, de bonis Operibus, de Cruce, de Inuocatione, de Ecclesia, de Sacramētis, de Magistratu, de Cōiugio, &c. Vnde cōcionator materiā huius generis petere potest. Et in libello, cui titulus est Regulæ vitæ, virtutes ferè omnes, cū vitijs hoc modo descriptæ & explicatæ sunt. Nūc vnum exemplum tantùm huius generis subijciemus.

CONCIVNCVLA DE *fide.*

SIt thema concionis historia de leproso, & Centurionis puero sanato à Christo, Matth. 8. Sumatur ergo indè, si placet, doctrina fidei pro concione explicandà hoc modo.

Recitaui historiam de leproso & puero Centurionis, quos Christus sanauit. In ea autē historia tota, fides præcipuè

cipuè cõmendatur & prædicatur. Quare etiam hoc tempore de fide tantùm pauca dicam.

Definitio & partes & obiecta fidei.

Fides ergo est noticia doctrinæ cœlestis de Deo, de Christo, eiusq; persona & beneficijs, & assensus quo eã doctrinam veram esse credimus, & amplectimur, & fiducia innitens gratiæ & misericordiæ Dei propter Christũ promissæ, & certò statuens sibi ipsi propter Christũ peccata à Deo remitti, & vitam æternam donari.

Fides igitur doctrinam & gratiam Dei, Christũ & eius beneficia, nõ aliter complectitur, quàm manus donum ab amico oblatũ, aut annulus gemmam. Et quàm arctè hædera arbori aut muro adhæret: tàm arctè fides verbo Dei & Deo ipsi ac Christo adhęret.

Non est igitur fides, vt quidam perperam existimant, aut noticia tantùm historiæ, quæ etiã in malis genijs est: neq; leuis aut inanis tantùm opinio temerè concepta: sed certa noticia verbi Dei firmus assensus & constans, fiducia gratiæ Dei nitens.

Est quidem fides in alijs firmior, in alijs infirmior. Firmæ fidei illustre exemplum est hoc loco in Centurione, qui nihil dubitat de Christi erga se gratia, & beneuolentia, firma fides fuit in Cananęa, quæ sępè à Christo reiecta, & grauissimis tentationibus quasi arietibus impulsa labefactari tamẽ non potuit: sed velut quercus antiqua aduersus ventorum impetum inconcussa permansit. Infirma contrà fuit in Petro subsidente in mari, & in regio ministro seu aulico, pro filio Christum deprecãte, vt secum descenderet, & filium sanaret antequã moreretur. Sed tamen hæc ipsa fides infirma, fides erat, eaq; Deo &

Christo grata, & ad bona impetrāda efficax, qui Christus arundinem fractam non cōminuit, & linum fumigans nō extinguit: sed fidei potius igniculum, & scintillulam in cordibus hominum accensam suscitat, alit & auget, suisq; beneficijs confirmat & ornat.

Caussæ fidei.

Fides singulare Dei donum est. Vt enim omne donū bonum desuper est à patre luminū, vt ait Iacobus, ita & fides Dei donum est. Spiritus enim sanctus in mente hominis fidem accēdit, & aperit vt verbū intelligant, & mouet vt assentiantur Euangelio: & voluntatē & cor adiuuat & cōfirmat, vt in misericordia & fauore Dei propter Christum nobis reconciliati, firmiter acquiescant, vt dicitur Ioh. 6. Hoc est opus Dei, vt credamus in illum, quē misit ille. Et ad Gal. 5. Fructus spiritus est fides. Vnde & Lunaticus Marci 9. clamat: Credo Domine. Sed opem fer diffidentiæ meæ.

Deinde fides nascitur ex verbo Dei audito, lecto, & cogitato. Deus enim per verbum efficax est. Vt ad Rom. 10. dicitur: Fides ex auditu est, auditus autem per verbū. Sicut enim Deus per Solis calorem & radios, pluuiā & niuem terram fœcundat: sic Deus per verbum fidem in animis hominum gignit. Vtq; margarita conchis ex rore cœlesti hausto concipitur & nascitur: Ita fides omni margarita preciosior vi doctrinæ cœlestis auditæ concipitur & nascitur.

Postremò fidei etiam caussa aliquo modo est homo ipse seu animus, mens & voluntas hominis, renouata & adiuta per Spiritum Sanctū, assentiens verbo Dei, & luctans cum dubitationibus & diffidentia. Ad Heb. 4. Non

profuit ipsis verbum auditum, non coniunctum cum fide audientium.

Fides autem multorum bonorum caussa est homini, idq; instrumentalis, per quam Deus ipse efficax est & bona operatur. Deus enim & Christus non quidẽ propter fidei dignitatem: sed per fidem in homine agit, & ei sua beneficia impertit.

Fructus ergo fidei sunt hi. Primus, Iustificatio hominis peccatoris credentis & resipiscentis. Hoc est, Remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo. Ad Rom. 3. Statuimus fide iustificari hominẽ, sine operibus Legis. Deindè Sanctificatio, qua homo sanctificatur & fit tẽplum Dei, in quo Deus ipse habitat & præsens est ipsum sanctificans. 2, ad Cor. 6. Vos estis templum Dei viuẽtis. Sicut dixit Deus: Inhabitabo in eis, & ero Deus eorum. Præterea pax & lætitia conscientiæ sanatæ, & acquiescentis in Deo tanquam beneuolo & philostorgo patre. Ad Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus erga Deũ. Adhæc omnia bona opera & virtutes Deo placentes, vt sunt, spes in Deũ, timor Dei, humilitas corã Deo, patientia vera, Dei inuocatio, charitas & beneuolentia erga proximũ, & omnia charitatis & beneuolentię officia ex hoc fonte existunt atque emanant. Ad Rom. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Ad Gal. 5. Fides per dilectionem efficax est. Tum etiã multa bona ad huius vitæ vsum necessaria, & à malis ipsis liberationes, per fidem à Deo impetrantur, vt dicitur Lucæ 8. Confide filia, fides tua te saluã fecit. Postremò fructus fidei, est ipsa vita æterna. Ioh. 3. Qui credit in Filiũ, habet vitã æternã.

Aq; hæc ad vim & naturam fidei ad populum explicãdam sufficiunt. Sin autem rem amplificare placet, etiam

Anthithesis

Anthithesis contrarij, & pugnantis cum fide diffidentiæ adhiberi potest. Eaq; vel seorsim post doctrinã fidei iam expositã proponi potest, vel etiã ipsi doctrinę fidei admisceri: ita vt argumentum argumẽto opponatur & subijciatur: vt definitio diffidentiæ, definitioni fidei statim opponatur & subiungatur: caussæ diffidentiæ caussis fidei: Effectus diffidẽtiæ effectibus fidei. Omnia enim hæc inter se pugnant, ac Definitio definitioni cõtraria est: caussæ caussis, effecta effectis. Atq; hactenus doctrina simplex fuit.

DOCTRINA CONIVNCTA.

DOctrina coniuncta est, qua thema seu quæstio coniuncta & dubia explicatur: id est, confirmatur aut refutatur.

Hoc autẽ fit primùm & præcipuè perspicuis Scripturæ testimonijs, tùm etiam exemplis: Deindè etiam alijs argumentis, sed in Scriptura tamẽ expressis. Hoc autem argumentum ex altera quęstionis parte vel vtraq; sumẽdum est, ac postea Syllogismis includendum. Vt enim literis, tum syllaba, tum vox polysyllaba, quæ pluribus syllabis constat, scribitur: Sic ijs argumentis nõ solùm simplex doctrina: sed etiam coniuncta, quæ ex duabus simplicibus componitur, tractatur.

Sed his in verbis Scripturæ ad dogmata exstruenda, confirmanda aut refutanda, citandis & adhibendis, magna cautione opus est, vt rectè intelligantur, & rectè & aptè allegentur: Deindè vt syllogismi, qui in ratiocinãdo adhibentur, rectè disponantur. Nisi enim id fiat, facilè à veritate aberratur. Grãmatica enim ratiocinationis fundamentum est: syllogismus autem verba rectè intellecta

ad doctrinam propositam accommodat. Quare si vel in Grãmatica verborum, vel in syllogismi dispositione erratum fuerit: falsa dogmata existere necesse est. Sic exempli caussa ex verbis non rectè allegatis error est. Si quis verba Christi Ioh. 6. v. 53. Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Si quis, inquam, hęc generaliter, & simpliciter intelligat, & inde hoc modo argumentetur: Qui non edit carnem filij hominis, nec bibit eius sanguinem, non habet vitam in se. Infantes nõ edunt carnem filij hominis, nec bibunt sanguinem eius. Ergo infantes non habent in se vitam. Vel sic: Quicunq; debet esse particeps vitæ, debet edere carnem filij hominis, & bibere eius sanguinẽ. Infantes debent habere vitam. Ergo infantes debẽt edere carnem filij hominis, & bibere eius sanguinẽ seu cœnæ Domini participes debent esse.

Ex dispositione error est. Vt si quis argumẽtetur: Fide sumus iusti. Fides est opus. Ergo propter opera sumus iusti. Hîc in dispositione vitiũ est. Conclusioni enim vox *propter*, inserta est, quæ in antecedente nõ fuit. Hi ergo duo sunt omnium falsorũ dogmatum & Heresiũ fontes.

EXEMPLVM INVENTIONIS.

SIt ergo quæstio, An liceat homini Christiano bellum gerere?

Præcipua ergo argumenta, hîc erunt testimonia Scripturæ & exempla. Testimonia, vt quòd Deus iubet Israëlitas bello occupare terram Canaan, Et Iudicum 2. iubet debellari Beniamitas. Et Psal. 143. dicitur: Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas bel-

lum, & digitos meos prælium. Exempla piorum bellatorum Abraham, Dauid, Iosaphat, Cyrus. Et pij milites, quorum mentio fit Matth. 8. Luc. 3. Actor. 10.

His deindè alia argumenta addi possunt: quorū præcipuum est, quo ex officio magistratus in Sacris literis expressi, & definitione belli legitimi sumi potest. Vnū enim & idem argumentum hîc pro diuersa relatione ad partes thematis, diuersas argumenti appellationes sortitur.

Defendere subditos aduersus vim iniustā & atrocem, & punire grauiter delinquentes Christiano magistratui licet. Vnde dicitur ad Rom. 13. Non frustra gladium gestat. Dei enim minister est, & vltor eius qui malè facit. Defensio enim politiarū necessaria est, vt in eis vera noticia Dei propagari possit, & delinquentes atrociter coherceri necesse est, vt conseruetur pax & disciplina. Bellum autem legitimum est defensio subditorum necessariò suscepta aduersus vim iniustam & atrocem, & est interdum certorum facinorū pœna legitima. Bellum igitur legitimum Christiano licitum & concessum est. Hæc præcipua huius quæstionis confirmandæ argumenta sunt: quibus deindè confutatio argumentorum Anabaptisticorum subiici possunt.

CRYPSIS ARGVMENTORVM.

SEd in argumentis, & syllogismis populo proponendis crypsis Oratoria adhibenda est, de qua in dispositione argumentorum Dialectica & suprà etiam dictum est: vt videlicet puncta argumētorum occultas, ne quis ea numerare possit: vt distinguūtur, ne verbis cōfusa esse videantur, vt ait Cicero 2. de Oratore: cujus rei

exemplũ apud Paulum ad Rom. 4. Et ad Gal. 3. vbi quęstionem tractat, an fides iustificet?

DE VSV HVIVS GENERIS.

VErum hoc genus doctrinæ magis ad ſcholas & ſynodos: id eſt, doctorum & piorum hominum congreſſus & colloquia, quàm ad conciones populares ſpectat. In ſcholis enim auditores ſunt, qui ipſi aliquando Eccleſiam docebunt & gubernabunt. Quibus proindè neceſſe eſt non ſolùm veram doctrinam ex fundamentis tradere: ſed etiam falſorum dogmatum Elenchos & refutationes proponere: vt & animi ipſorũ magis muniantur: & ſi quando opus eſt, ad falſa dogmata refutanda inſtructiores & paratiores ſint. Paulus enim ad Titum 1. v. 9. vult Epiſcopum ſeu verbi miniſtrum talem eſſe, qui non ſolùm veram doctrinam intelligat, & poſſit per doctrinam ſanam exhortari: ſed etiam eos qui contradicunt, ἐλέγχειν: id eſt, refutando conuincere.

Deinde iuuentus in ſcholis Chriſtianis non tantùm doctrinam ipſam, ſed etiam doctrinæ fundamenta, tùm Grãmatica linguæ Hebrææ & Græcæ, & Rhetorica Troporum & figurarum: tùm Logica inuentionis & diſpoſitionis. Item hiſtorias & veterum cõtrouerſiarum Eccleſię certamina didiciſſe debuit: unde cum fructu de ea doctrina diſputare poſſet.

In Eccleſia autem & concione populi, alia eſt auditorum ratio. Hi enim non ad alios docendos inſtituuntur: ſed ſibi tantùm audiunt & diſcunt. Et cùm in vera doctrina ſemel rectè inſtituti ſunt: in ea placidè acquieſcũt, & ea ſeſe in rebus aduerſis peccatis & morte ſuſtentant

& con-

& consolantur. Nec de cōtrariis dogmatibus cogitant: nisi quæstionibus aut disputationibus commoueantur. Populus enim similis est mari: quod sua natura placidū & tranquillum est: sed ventis impulsum commouetur, fluctuat & æstuat. Sic si populus in cōcionibus, crebras de doctrina quæstiones, disputationes præsertim anxias & solicitas, quæ speciem dubitationis habent, audit facilè, ut est animus hominum ad dubitationē procliuis, & in deteriorem partē semper prona suspitio, facilè inquam, ad dubitandum impellitur.

Deindè maxima pars populi cognitione fundamentorum doctrinæ cœlestis caret: inde argumenta & probationes disputationum petuntur: quare & subtiliores disputationes ex fundamentis petitas nō intelligit. Aristoteles de Demonstratione lib. 1. cap. 9. Apud Geometriæ, inquit, imperitos, de Geometria non est disserendum. Quia rectè ne an perperàm disputetur, intelligi nō potest. Hæc ille. Neq; igitur subtiliter apud populum de doctrina disserendum est: neq; veteres hæreses populo ignotæ & hæreticorum veterum nomina mirifica sæpè & multùm inculcanda sunt.

Quando autem Ecclesia falsis dogmatibus turbatur, vel periculū aliquod metuitur: hîc falsa dogmata apud populum indicanda & grauiter reprehendenda sunt: & testimoniis sacrę Scripturę fideliter & perspicuè, & quatenus populus intelligit, allegatis piè, grauiter & constanter confutanda sunt. Quæstiones autem, cùm nihil opus est, excitare & ventilare, de iis, quæ vera sunt, & nulla controuersia est, friuolum & superuacaneum est. Et aliàs vera doctrina rectè & perspicuè tradita, perpetua est falsæ doctrinæ cōfutatio: quam Spiritus Sanctus con

tra

tra tentationes, & dubitationes à diabolo excitatas, in mentibus piorum, & opem Dei implorantium assiduè confirmat.

Quædam etiã tam sunt perspicua: ut ineptum sit, atq; etiam impium de iis disputare velle: & si quis de iis dispu tare audeat: tamen apud sanos homines responsione, & confutatione non indigeant. Aristoteles Top. 1. cap. 9. Non est, inquit, de omni propositione & quęstione pro. miscuè disputandum. Nam si quis quærat aut disputet: An dii colendi sint, & parentes amandi: dignus est qui supplicio coherceatur. Qui autem quærit an nix alba sit: sensu carere videtur.

DE QVAESTIONE AN SIT.

ARistoteles de Demonstratione lib. 2. ca. 1. quatuor quæstionum genera facit: duo simplicis doctrinæ: an sit, & quid sit: ut an sint Cẽtauri, an sint Dii: Quid sit Deus, quid sit homo. Duo item doctrinæ coniunctæ, an ita sit, & cur sit: ut an sol deficiat, an terra moueatur: cur sol deficiat, & cur terra moueatur.

Id Theologi quidam secuti in simplicium capitum do ctrinæ cœlestis explicatione quæstionem an sit semper ferè adhibent: & quærunt initio an sit res, vt an sit Deus, an sit filius Dei, an sit incarnatus, passus, mortuus, resusci tatus, an in cœlum ascenderit: an sit Spiritus Sanctus, an sit lex, an sit peccatum, an sit Euangelium, an sit fides, an sit iustificatio & remissio peccatorum: an sit cœna Domini, an sit Baptismus, an sit resurrectio & vita æterna, & sic de aliis. Atq; hoc ipsum quidam etiam in concionibus interdum imitantur.

Hæc autem quæstio etsi simplicis quæstionis esse di-

citur: Huius tamen generis potius est, aut mixtæ cuiusdam naturæ. Eget enim probatione & argumẽtis ex doctrina quæstionis simplicis sumptis, & syllogismis. Vt enim in physica & esse res naturales, & quales sint sensuũ testimonio probatur, qui & res ipsas, & earum adiuncta & effecta percipiunt. Ita in Theologia, ipsa Scripturæ testimonia, quæ fides intuetur & apprehendit, tùm rei cuiusq; effecta quæ sensus percipit, rem esse docẽt, & qualis sit. Cicero Tusc. 1.

Cùm Dei effecta multa in cœlo, & in terra enumerasset, possumús ne, inquit, dubitare, cùm hæc & alia innumerabilia cernimus, quin his pręsit aliquis vel effector, vel moderator tanti operis & muneris. Sic mentem hominis quamuis eam non vides, ut Deum non vides: tamen ut Deum agnoscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum & inuentione & celeritate motus, omniq; pulchritudine virtutis vim diuinam mentis agnoscite. Hæc ille. Quæstio ergo An sit Deus ex testimoniis Scripturæ, & effectis Dei explicari & probari tantùm potest, & sic de aliis. Ac proindè ex doctrinæ simplicis explicatione & argumentis pendet.

Hæc ergò quæstio aut nunquam aut raro in doctrinæ cœlestis explicatione adhibenda est, idq; his de causis, in Aristotel. de Demonstratione lib. 1. cap. 8. Nullius, inquit, scientiæ est sua principia demonstrare. Principia enim sumenda & credenda sunt. Et verborum quibus ea continentur, vis & significatio tãtùm explicanda est. Sic Arithmeticus non disputat an sit numerus, an sit vnitas, & sic de aliis. Geometra non disputat an sit magnitudo, punctum, linea, figura: Physicus nõ disputat an sit natura, an sit motus naturalis, an sit cœlum, an sit terra, *&c.*

Q Sed

Sed hæc & similia artiũ subiecta quilibet artifex, & professor in sua scientia pro principijs scientiæ sumit & esse credit: Et quid verba significent definiendo & diuidendo explicat: vt quid sit numerus, quid vnitas, quid magnitudo & quotuplex, seu quas habeat species, & quam vim atq; vsum, quodq; habeat, exemplis explicat. Physicorum lib. 2. cap. 1. velle docere naturam esse ridiculum est. Nam perspicuum est res multas naturales esse. Et ea quę perspicua sunt rebus dubijs & obscuris docere, eius est, qui inter clara & obscura discernere nequeat. Hoc autem cõtingere posse inde apparet: quod etiam cœtus à primo ortu de coloribus ratiocinari possit. Necesse est autem eiusmodi hominibus de nominibus tantùm disputare rem non intelligere. Ex Aristotelis ergo sententia de principijs scientiarum non est quærendum an sint nec ne, sed ea simpliciter sumenda & explicanda.

Esse autem Deum, esse Filiũ Dei, esse incarnatum, *&c.* esse Spiritum Sanctum, esse legem Dei, esse peccatũ, & sic de alijs, principia sunt Theologiæ & Religionis Christianæ in symbolo ab Apostolis & sacra Scriptura nobis ad credendum proposita.

Quare hæc doctrinæ capita quæstione an sit in dubiũ vocanda non sunt: sed simpliciter credenda, sumenda & explicanda. Quod si in alijs scientijs, & disciplinis externis indigna est hęc quæstio An sit: multò magis in Theologia indigna est. Habet enim hæc quæstio speciẽ dubitationis. Quæ fidei grauitati & constantiæ aduersatur.

Ac inprimis de Deo minimè hæc quæstio adhibenda est, minimeq; quærendum an sit Deus. Deum enim esse, fidei & Religionis Christianæ, & sacræ Theologiæ primum fundamẽtum & principium est, & principiũ principiorum.

cipiorum. Vnde & symbolum Apostolicũ inchoat: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et nulla gens tam fera est, nemo omnium tam immanis, cuius mentem nõ imbuerit Deorum opinio. Vt ait Cicero Tusc. 1. Deinde si quęstio an sit, initio doctrinæ simplicis tractetur, plerumq; in Tautologias & inanes eorundem argumentorũ repetitiones doctrina incurrit. Debet enim hęc quęstio ex testimonijs Scripturę, & effectis rei probari, ut suprà diximus. Quę eadem duo argumenta postea in doctrinę simplicis tractatione sunt repetenda. Quare eadem argumenta bis posita Tautologiam gignunt. Postremò etiam sine quæstionis specie in doctrina simplici res quæ in Theologia traduntur, ut Deum, Filium Dei, Spiritum Sanctum, esse doceri potest. Cùm enim Scripturæ de quolibet capite simpliciter recitantur, aut cùm capita ipsa doctrinæ cœlestis definiuntur, cùm caussæ eorum explicantur, cùm effecta singulorum enumerantur, & singula hæc argumenta testimonijs Scripturæ confirmantur: singula hæc argumẽta & testimonia, etiam quęstionis an sit argumenta & testimonia sunt, & sine omni quæstione an res sit, rem esse tacitè docent & arguunt. Ac inprimis cùm de Deo dicitur: ita effecta & opera Dei, in creatione & redemptione generis humani, in collectione, conseruatione & gubernatione Ecclesiæ, piè, grauiter & prudenter ad captũ populi exponi, & ob oculos proponi possunt, ut tacitè Deum esse clament, & dubitantes confirment ac secus opinantes, si qui sint, planè confutent atq; conuincant, si modò sanabiles sunt. Nam si qui sunt Epicuræi, aut prophani planè & Athei, qui Deum & inuisibilia omnia, Angelos, diabolos, mentes beatas, vitam æternã,

pœnas æternas, fabulam esse putant: illi Deo eiusq; iudicio comittendi sunt. Iiq; magis votis & precibus aliorum indigent, ut aliquando illuminentur & conuertantur, quàm verbis aut argumentis. Nec in eorum proindè gratiam piorum fides quieta & tranquilla, quæstione incommoda & periculosa lædenda aut turbanda est. Et Aristoteles aliàs præcipit & suadet cum ijs, qui negant principia non esse differendum.

GENVS PARAENETICVM.

HActenus Genus Didascalicum fuit: sequitur nunc Paręneticum.

Paręneticum genus cõcionum est, quod ad pœnitentiam, pietatem, timorem Dei & cęteras virtutes, & bona opera atq; officia exhortatur, & à vitijs atque peccatis dehortatur. Et Genus Exhortatorium, Suasorium, Parænesis, Admonitio, Exhortatio, Suasio dici potest. Paulus etiam νουθεσίαν & παράκλησιν interdum appellat.

Sed hoc etiam Genus raró solum adhibetur, aut totas conciones occupat. Et hoc Genus magis decet senes aut prouectæ ætatis homines, & eos qui aliquandiu in officio docendi & concionandi versati sunt, & ætate & authoritate valent, quàm iuuenes, aut eos qui se concionando tantùm exercent, aut extraordinariè concionantur.

Atq; in hoc genere illud obseruandum est, quod monet Erasmus in suo Ecclesiaste: Exhortationẽ & admonitionem modestiorem & mitiorem fieri, si concionator inter exhortandum suam personam admisceat, & cum personis auditorum coniungat hoc modo: Agite dum

dum fratres chariſſimi, ſatis hactenus indulſimus carni: poſthac è luto rerum mūdanarum erigamus animos, militemus bonam & fidelem militiam, quam Chriſto in Baptiſmo profeſſi ſumus: & contemptis huius vitæ falſis & fallacibus bonis, toto pectore ad æternū illum triumphum feramur. Vide pag. 740. & 891.

Differt autem hoc Genus à Didaſcalico non ſolùm fine, ſed etiam argumentorum materia. Illud enim ex ſola Scriptura materiam ſumit, ſed hoc etiam ex ratione. Vt enim doctrina Legis etiam menti hominis in creatione inſita eſt, & cum homine naſcitur: ita hoc concionis Genus non ſolùm ex ſacris literis: ſed etiam aliundè ex Philoſophis, Oratoribus & Poëtis, ex vita communi & ſapientum atque bonorum iudicijs, dictis & factis ſumi poteſt. Quarè hoc Genus non ſolùm Theologicum eſt, ſed ex parte etiam Philoſophicum & Concionatori cum Philoſopho & Oratore commune. Sic ſi de temperantia & ſobrietate exempli cauſſa dicendū eſſet, omnia quæ dici poſſent, quiuis Gentilis diceret: exceptis ſententijs & exemplis ſacris, & argumentis Scripturæ proprijs. Quibus demptis tam benè de ſobrietate aut contra ebrietatem declamaret Cicero, quàm Chriſtianus quiſpiam Cōcionator. Hîc tamen ea cautio adhibenda eſt, ut dicta & exempla prophana parcè adhibeantur, niſi quatenus dicta preſertim cōmunia & peruulgata ſunt: & argumenta ipſa quę verbis ipſis continentur ex ratione, experientia, & vita communi ſumpta, & ab authoribus uſurpata adhibeantur: ſed nomina prophana ſupprimantur.

DIFFERENTIA HVIVS GENEris, & generis Deliberatiui.

HOc Genus species quædam est generis Deliberatiui, certo materiæ genere, fine, & argumentorum tractatione ab illo distincta.

Materia.

Genus Deliberativum Rhetoricæ forensis præcipuè in rebus externis & ciuilibus ad rempublicam pertinentibus versabatur, vt erant pax, bellum, copiæ, opera publica, vectigalia. Hoc autem genus pręcipuè in rebus internis, & ad animum pertinentibus versatur, ut sunt officia, virtutes, vitia, & alia eiusmodi.

Finis.

Præterea finis huius Generis est, non tàm suadere aut dissuadere, quàm exhortari, aut dehortari. Sequimur enim docendi caussa horum verborum distinctionem, quam etiam Erasmus in libro de conscribendis epistolis proposuit: vt suadere sit dubitantibus consilium dare, hortari autē, cessantes aut segniùs agentes incitare atq; impellere. Omnes enim sciunt & agnoscunt virtutes am plectendas esse, & vitia fugienda: adeò vt non sit quisquam tam malus, vt malus videri velit, vt ait Fabius lib. 3. cap. 8. de hoc genere sequens. Sed multi id quod sciūt vel à Diabolo fascinati, vel malorum consuetudine corrupti, vel infirmitate carnis impediti: non faciunt quod faciendum esse sciunt. Quibus accidit illud Medeę: video meliora, proboq;, deteriora sequor. Et quod Paulus ait ad Rom. 7. Quod perpetro non agnosco. Non enim quod

quod volo hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Vel etiam segniùs faciunt, quod faciendum esse iudicant. Ad tales ergo præcipuè exhortatio spectat, vt eos in officio contineat, vel à peccatis & vitijs auocet. Si quis enim planè prophanus est, & à malo genio, ita totus occupatur, vt honesta & inhonesta iuxtà æstimet, is parum verbis aut argumentis mouetur aut iuuatur.

ARGVMENTA ET EORVM materia & tractatio.

PORrò hoc Genus & materiam argumentorum totã ferè ex sacris Literis petit: & proinde ipsa argumenta vberiùs & solidiùs, quàm Philosophia aut Rhetorica forensis explicat. Ac materia quidem argumentorum in hoc genere maximè ex loco de bonis operibus, & capite cur bona opera sint facienda: & ex loco de peccato, eiusq; caussis & effectis sumitur. Quanquam qui locos communes & methodos ex Scriptura colligunt, parum hîc in numero & ordine argumentorum & caussarum, propter quas bona opera sint facienda, & peccata fugienda, conueniunt. Sed ex locis Philippi Melanchthonis ea commodissimè sumi possunt. Profuerit etiam hîc libellum Erasmi legere, cui titulus est Enchiridion militis Christiani.

Argumenta specialia eadem hîc sunt, quæ in Rhetorica forensi, tria nempè, honestum, vtile, facile. His enim homines ad agendum maximè mouentur. Sed hęc argumenta aliter definit & explicat Rhetorica Ecclesiastica quàm ciuilis. Honestum enim hîc est non solùm quod rationi & legi aut consuetudini consentaneum est: sed inprimis, quod Deus ipse vult & mandat, & in Lege Dei

& Scri-

& Scriptura ipsa expresse mãdatum est: & pij in Ecclesia suo exemplo comprobarunt. Quare locus honestatis hic sumitur primùm & pręcipuè ex Dei fonte & authore virtutum, eiusq; voluntate & approbatione. Qui vult hominem sibi morem gerere, & sui similem esse. Ideo enim hominem condidit Deus, & lapsum redemit, conseruat, tuetur, & defendit, ut sibi vicissim obedientiæ & obseruantiæ gratitudinem præstet. Quod non facere longè turpissimum est.

TOMI PRIMI, DE RATIONE Concionandi, Finis.

AD